



PROPÆDIÆ
 COLUMNNA POSTERIOR,
 SIVE
 BREVIARIUM
 PHILOSOPHICVM,
 SCIENTIARVM PERIOCHAS
 SVMMAQVE ARGVMENTA
 PRÆSIGNANS.

PRÆFATIVNCVLA DE PHILOSOPHIÆ
 ADMINICVLIS.



QVAM animi ac studiorum præparationem, quæ adiumenta, & adminicula requirit & insinuat Medicorum ille princeps Hippocrates ad Medicinæ scientiam; ut nempe quisquis artis gloriam & præstantiam affectat, imprimis oporteat eum, ἔπι-βόλον γενέσθαι φύσιος, διδασκαλίας, τόπον εὐφύεος, παιδομαθίας, φιλοπονίας, ζέονον, ut ille loquitur, ἐν νόμῳ, nactum esse naturam idoneam, seu esse bonâ indole natum; tum doctrinæ compotem ac bene institutum; deinde versari in loco studiis apto & consentaneo; item à puero esse informatum; præterea egregiam studiis operam nauare; nullisque parcere laboribus: denique tempore (cuius filia est veritas) & otio abundare, ad artis maturitatem & complementum: eandem profectò dispositionem, eademque instrumenta, & adminicula ad vniuersam Philosophiam (quæ est animorum Medicina, & scientias omnes suo ambitu complectitur) plenius planiusque cõparandam, multò meliori iure desiderari, nemo est qui non facillè coniiciat & existimet. Si enim à naturâ probè affectus non fuerit animus, qui philosophiæ ager est, sitque ingenium tardius, iudicium præceps, fallax fluxaque memoria, sensus obtusi ac hebetes; vix ac ne vix quidem sapientiæ & scientiarum documenta, quæ veluti semina sunt, ipse animus excipiet, aut si ita excipiat ea citò corrumpet, suffocabit aut extinguet. Nimirum ut è quouis ligno non

Tom. I.

fit Mercurius; sic neque è quouis homine philosophus: quanquam non rarò fiat, ut labor omnia vincat improbus, & duris vrgens in rebus egestas; studiâque longiora compensent emendentque ingeniorum tarditatem. Attamen cum id verum perpetuò sit,

Tu nihil inuitâ dices faciesve Mineruâ,
 Rectissime Hippocrates ibidem, πρῶτον μὲν οὐδὲ φύσιος. φύσιος γὰρ ἀντιπαθηούσης κενὰ πάντα. Imprimis igitur natura opus est inquit, natura enim repugnante vana & irrita sunt omnia: eadem autem quasi duce ac luce præcunte & fauente, ut quæ in id quod optimum est, viam commonstret & quasi manu ducat, tum doctrina artis comparatur. φύσιος δὲ εἰς τὸ ἀριστον ὁδηγεούσης, διδασκαλίᾳ τεχνῆς γίνεσθαι, & certè cum humana mens per se sit scientiæ & cognitionis experta, & quasi tabula rasa, in qua nihil est depictum: nemo enim doctus vnquam natus est, nec philosophus; necessaria profectò est disciplina seu doctrina, quam vel propria experientia & vsu, vel ex præceptore viuâque doctoris voce accipiamus. Iam verò cum disciplinæ scientiæque omnes tot tantisque sint difficultatibus inuolutæ, rerumque cognoscendarum veritas in puteo Democritico, cui fundus non sit, demersa lateat; ita ut non nisi magna animi contentione, studio, labore, industria, idoneo loco, excitatione, longoque tempore artes possint comparari, est profectò quòd agnoscamus adminicula illa sex, naturam, doctrinam, locum aptum, institu-

E ij

52
tionem à pūero, laboris patientiam, & tempus à sapientissimo Hippocrate commemorata, vt ad medicinam, sic maximè ad vniuersam philosophiam esse pernecessaria. Quæ tamen omnia ipse philosophorum coryphæus Aristoteles vt pote breuitatis amantissimus ad tria dumtaxat reuocauit *φύσιν, μαθησιν, ἀσκήσιν*, naturam scilicet, disciplinam, & exercitationem. Atque ipsa quidem exercitatio, quæ est frequens meditatio, discussio, disputatio, vsus & applicatio præceptorum, tanti est in philosophia momenti, vt licet prompta pa-

ratæque sit naturæ bonitas, & consentaneum ac laudabile temperamentum, adfitque ingenij viuacitas, & disciplinæ excellentia, parum tamen hæc profutura sint, si deest exercitatio; quæ sicuti corporis sanitatem, & *ἐπιπέδον* labor & deambulatio iuuat, fouet adaugétque, & illa ab Hippocrate tantopere commendata, *ἀσκήσιν πόνων*; sic & animi facultates dotes, scientiâsque firmat, perficit illustrat, exacuit ipsa exercitatio. *Ψυχῆς ἀείματος, φροντισ*; animi ambulacrum vt eleganter dixit Hippocrates lib. 6. Epidem.

PARTITIO BREVIARII.

Philosophiæ orbis & compages quatuor partibus (nihil enim de Mathematicis hoc loco exquiritur) tota continetur ac subsistit, Dialectica scilicet, Physica, Metaphysica, & Ethica, siue philosophia Morali, quarum vnaquæq; cum nomine communi philosophiæ gaudeat & insigniatur, est e-

nim Dialectica philosophia mentis dirigenda ad bene differendum; Physica, philosophia naturæ; Metaphysica, entis; Ethica morum, ita vt conueniant omnes in philosophiæ titulo, vt species in genere; propterea breuiarij huiusce statuo partes quinque. Prima erit de Philosophia vniuersim, secunda de Dialectica, tertia de Physica, quarta de Metaphysica, quinta de Ethica.

PARS PRIMA

DE PHILOSOPHIA
VNIUERSIM.


Philosophiæ summa breuis ac prospectus omnis vt strictim & expedite, sic clarè & luculenter fuit in apparatu expositus ac definitus, vbi de nomine Philosophiæ, definitione, sede, siue subiecto, vsu, dignitate, fructu, diuisione, origine, inuentione, methodo, fine, sectis, & illustrioribus quibusdam theorematis ac documentis generalibus dictum fuit pro compendij ratione satis. Propterea ne nos quisquam accuset repetitionum, aut *πυτολογίας*, Lectorem vltro remittimus ad nostri illius apparatus dissertationes, in quibus pars hæc prima videtur non ineleganter, nec iunè pertractata. Placet tamen hoc loco adnotare, aut inculcare, amabiles ideo esse scientias, & charissimam hominibus ex naturali quodam insitòque sciendi appetitu philosophiam, siue sapientiam, quod ea ex proprio officio ac fine, qui sapere est, omniâq; vt par est intelligere, ipsam hominis natu-

ram ac essentiam quæ diuina est, & cuius functio opusve est intelligere & sapere, exornet ac perficiat: in quem propterea finem, vni homini præ cæteris animalibus sapiens prouidâque natura, seu potius author naturæ Deus, erectum corpus attribuit, vt facilius ac liberius vacare posset contemplandi officijs, & in diuina illa maximè cælestiâque corpora; imò & in mundi partes omnes & quaquauersum oculos animumque minore negotio conuerteret. Nimirum id peruidit docuitque miro ingenij acumine præditus Aristoteles, qui cap. 10. l. 4. de partibus animalium, de humani corporis figura & conformatione prout à bestiarum corpore differt, loquens, hæc verba habet. *ὁ μὲν οὐδ' ἀνθρώπος ἀντὶ ποδῶν τ' ἀποδείων, βραχίονας ἔχει καὶ χεῖρας ἔχει. ὁρῶν μὲν γὰρ ἐστὶ μόνον τῶν ζώων, διὰ τὸ πλὴν φύσιν αὐτῶ, ἔτι οὐσίαι εἶναι θείας. ἔργον δ' τῶ θειοτάτης, τὸ νοεῖν ἢ φρονεῖν. τὸ δ' οὐ βραδύον πολλοῦ τῶ ἀνωθεὶ ὅτι κειμένου σώματος. τὸ γὰρ βαρὺς, δυσκίνητον ποιεῖ τὴν ἀγνοίας ἔτι κοινῶ ἀισθησίν. quæ sic reddo:*

Homo igitur vice pedum anteriorum, brachia & quas appellamus manus, habet. Solus enim inter animalia erectus est, quia natura eius & essentia siue substantia diuina est: officium autem diuinissimi, est intelligere & sapere. Hoc autem non facile fuisset, multâ de super incumbente corporis mole, grauis enim moles siue pondus, pigram & tardiorē facit mentem & communem sensum. Ex quibus verbis certò clarèq; constat putasse Aristotelem, hominem diuinæ naturæ ac substantiæ participem esse, diuinissimâsque esse eiusdem functiones & opera, quæ scilicet in intelligendi officiis & in sapientia, quæ est ἔργον τῆς θεοῦ τὰ τῆς, consistant; atque adeo hominem ea parte qua intelligit & sapit quæ est mens seu potius anima rationalis, diuinæ id est immortalis vitæ esse compotem; quæ mea est coniectura & interpretatio. De iis itaque pro-

didagmatis & proœmialibus quæstiuiculis, quæ ad hanc primam partem de philosophia vniuersim, pertinent, consulendus est noster apparatus & per legendæ dissertationes.

Iam verò cum nemo rectè intelligere possit aut sapere, id est probè gustare ac percipere rerum veritatem (sapientiæ enim nomen à saporibus quos percipit gustandi sensus, in lingua residens, ad notiones mentis, quibus veritas comprehenditur, traductum fuit) siue scientias sibi cõparare, nisi sciendi modos, & rectè differendi formulas & instrumenta prius teneat; has autem differendi formulâs & præcepta tradat explicetque vna Dialectica, meritò philosophi ab ipsa Dialectica docendi sumunt initium, quæ est parens & magistra methodorum.



PARS SECVNDA

BREVIARIUM PHILOSOPHICUM,
DE DIALECTICA.

PRÆFATIVNCVLA.

De modis & gradibus cognitionum, &
necessitate Dialectices.



Misera est profectò & hominum animis scientiarum & sapientiæ amore flagrantibus, inuisa, insensâque maximè ignorantia seruitus; miserior, vereque tyrannica, quæ peccati est & vitiorum. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, vt est in literis Sacris, miserissima, quæ ab ignorantia est simul & à vitiis, longèque deterior tyrannide illa & seruitute Pharaonis, qua olim oppressi ac diuexati fuerunt Israëlita. Sed vt Dominus Deus Opt. Max. pro infinita sua prorsusq; singulari bonitate & sapientia populi sui miseratus & de eius libertate & salute sollicitus, duas è cælo exhibuit præstititque fulgentes columnas, quarum ductu & auspiciis per viam deserti, quæ erat iuxta mare rubrum fugientes Israëlita, regerentur ac securè deducerentur, vt tandem excusso iugo Pharaonicæ seruitutis, in optatam libertatem restituerentur & assererentur; ita vt etiam ipse Deus dux esset itineris, vtroque tempore, vt loquitur Scriptura sacra, Exodi cap. 13. Atque ad ostendendam viam

Tom. 1.

præcederet eos, in columnâ quidem nubis, per diem; & per noctem, in columnâ ignis: sic & philosophia quæ, vt sapientia, dei donum est; descendens à patre luminum, imò vt æternæ illius ac ineffabilis sapientiæ nûntia, interpres; ac ministra quasi Iunonis Deæ iris, hominum animis, ignorantia, errorum, ac vitiorum veluti carcere, & obscurioribus fœdisque ergastulis ex miserissima seruitute vinctis ac detentis, calamitosissimæ huius vitæ, tanquam deserti viam aut periculosum mare ineuntibus ac veluti inter Oriam & solem errantibus duas columnas in ipso philosophici cursus principio, sapienter exhibet & ostentat, Dialecticam scilicet, quæ est veluti columna ignis mentem humanam illuminans in nocte difficultatû philosophicarû, siue in obscuris abditisque rerum essentiis, causis, proprietatibus, atque vno verbo ipsius veritatis penetralibus ex recta differendi methodo, peruestigandis, indagandis, clarèque & sine errore vllò intelligendis ac pernoscentis; & Ethicam, siue philosophiam Moralem, quæ est veluti columna nubis, humanas appetitiones, mores, cupiditates, & animi pa-

themata placidè, suaviterq; adhibito rectæ rationis iudicio ac prudentiæ moderamine componens, & quasi affuso dulci ac fecundo virtutis imbre, aut blandiore honestatis halitu, ac veluti nubis refrigerio fouens, irrigans, dirigensque ad beatam illam *εὐθυμίας* & summa fastigia nostræ felicitatis; ut enim Dialectica mentis & intellectionū, sic Ethica voluntatis, morum & passionum animi directrix est, & magistra. Iam vero ut intelligant omnes, quis sit in philosophia & scientiis vsus, & necessitas, utilitasque Dialecticæ, nosse ante omnia oportet, rerum quæ cognitione vtuntur, ordines siue gradus esse quatuor. Primus est brutorum animantium, quæ duce sensu & dirigente phantasiâ res cognoscunt corporeas & sensibiles; hæc cognitio nominatur vulgò sensitiva. Secundus est hominum, qui licet sensuum & imaginationis ope cognoscant, ut brutæ animantes, ratione præterea vtuntur & discursu, vnum ex alio, putâ causâ ex effectu colligentes, & hæc cognitio dicitur discursiva. Tertius est mentium separatarum, sed creatarum, quas Theologi vocant Angelos & Dæmones, Aristoteles autem *νοῦς οὐσίας, κεραισιώδης* substantias separatas, quia à materiâ separatae sunt, & extra corpoream molem subsistunt: atque mentes huiusmodi à materiâ separatae, nec sensu nec discursu vtuntur, sed ut hominibus sūt naturæ dignitate excellentiores; ita & modo perfectiori res cognoscunt: nempe per simplicem ac momentaneam intelligentiâ, quâ effectus statim vident in causis & conclusiones in principiis sine ratione aut discursu, à quo propterea intelligendi modo, qui creatorum est præstantissimus, nominatae fuerunt intelligentiæ, & hæc cognitio dicitur intellectiva siue angelica. Quartus est mentis æternæ & increatae, nimirum Dei Optimi Maximi, qui & seipsum, & omnia ab æterno simul & semel cognoscit, intelligit, ac per æternam suam sapientiam omni humana & angelica cognitione infinites perfectiorem, incomprehensibilibus modis comprehendit, quæ cognitio comprehensiva appellatur, omnium eminentissima, ex qua cognitionum illustri distinctione, facile intelligitur admirabilis varietas rerum cognitione vtentium; quæ ut modo cognitionis, sic & perfectione naturæ distinguantur. Itavt quò præstantior est cognoscendi modus, eò etiam res sint naturæ excellentioris: hinc enim Deus ens est absolutissimum ac simpliciter perfectissimum, quia eius cognitio infinitè perfecta est: Angeli hominibus, homines brutis excellentiores, quia Angeli perfectius cognoscunt quàm homines: homines, quam brutæ. Denique & brutæ animantes excellentiores plantis, quia plantæ omni sensu &

cognitione destituta sunt.

Iam verò inter has omnes cognitionis species ac modos hoc est discrimen, quòd diuina quidè cognitio nihil opis aut adiumenti requirat, ut dirigatur, aut rectè fiat: quippe quæ sit per se optima ac præstantissima; imo neque angelica, quæ scilicet naturali quadam conditione erroris expers, res ut sunt clarè distinctèque percipiat, neque vnquam à veritate deflectat: hinc enim Angeli & Dæmones doctissimi à naturâ perhibentur & insitâ quadam scientiâ res omnes perfectissimè creduntur cognoscere. Sensitiva autem cognitio & discursiva ob naturalem quandam imperfectionem, aliquâ præparatione & directione egeant, ut rectè fiant, & obiecta sua sine errore ac deceptione percipiant, quippe ipsi experimur, nos in rerum sensibilibus comprehensione decipi & aberrare, ut cum amara pro dulcibus, lingua male affectâ, flava vel rubra pro albis, oculo ægrotante vel impedito, percipimus: itemque rotunda pro quadratis, cum scilicet obiectum nimis distat à facultate videndi: & cum aër vel aqua mediave corpora malè affecta sunt, plenâque crassis vaporibus aut exhalationibus. Experimur præterea falli nos ac deerrare in rerum intelligentiâ ac discursu; ita ut falsa pro veris interdum assumamus; sic malè hominem definiuit Plato, cum dixit, homo est arbor inuersa: anima est circulus, triangulus, harmonia. Vitiosæ enim sūt hæc definitiones, quia improprie, figuratæ & metaphoricæ. Item si animal diuideretur in hominem & Petrum & Paulum, brutum, canem & piscem, vitiosa esset diuisio, quia membra diuidentia sub aliis continentur in eadem diuisione. Præterea error est in discursu, si mens syllogismum hunc tanquam rectum & idoneum construat, Aliquod animal est asinus, atqui homo est ali-quod animal, ergo homo est asinus. Vitiosa eius est ratiocinatio, quia ex maiori propositione particulari in prima figura non concluditur veri quidquam, & vi formæ, ut docent Dialectici.

Ut ergo sensus quadam eget præparatione ad perfectionem suæ cognitionis, ad quam scilicet requirit organum aptè dispositum, medium ritè præparatum, & obiectum in æquabili ac conveniente distantia positum: sic & mens humana ad discursivæ suæ cognitionis & intellectionis cuiuslibet certitudinem & claritatem, quasdam intelligendi leges & differendi formulas, præceptaque bene cognoscendi desiderat, quibus ad expeditam veritatis comprehensionem dirigatur. Atqui Dialectica formulas illas modòsque sciendi & omnia rectè intelligendi ac differendi præcepta exponit, docetque certissimè ac subtilissimè: Est igitur

tur Dialectica omnino necessaria ad veritatis claram certamque cognitionem, & scientias omnes perfecte obtinendas. Quod licebit clarius hunc in modum concludere, & hoc syllogismo comprobare, Quæ doctrina modos cognoscendæ veritatis tradit, & instrumenta scientiarum, ea est ad veritatis cognitionem & scientias comparandas necessaria: atqui Dialectica est eiusmodi, quæ scilicet doctrina sit exquisita & subtilis, modos tradens ac explicans cognoscendæ veritatis, ipsaque conficiens & tradens instrumenta scientiarum, nempe artes probe definiendi, diuidendi, argumentandi, recteque cogitationem & sermonem disponendi: cum fuerit in eum finem instituta,

nihilque aliud doceat aut exponat: Ergo Dialectica ad veritatis cognitionem & scientias obtinendas est necessaria. Atque hæc est ratio propter quam, si id adhuc inculcare licet, in explicatione veritatis, ipsisque pertactandis, scientiis, initium duci debeat à Dialectica ἀποπρον γὰρ ἀμαξήλειν ἐπιτήμησιν, καὶ βόπον ἐπιτήμησιν, absurdum est simul querere scientiam, & modum scientiæ, vt scripsit Aristoteles cap. 3. lib. 2. Metaphysicorum.

Sed vt ratio & natura Dialecticæ clariùs innotescat, operæ pretium erit proœmiales illius minutias quæ vulgò in scholis τὰ προελεγόμενα vocitantur, breuiore quodam capitulo perstringere.



CAPITVLVM PROOEMIALE.

RATIO PROOEMIALIVM,

NOMINALIA DIALECTICES,

DEFINITIO, OBIECTVM,

DIVISIO, FINIS.



In cæteris facultatibus, artibus, & disciplinis præfari quædam oportet, iuxta illud Aristotelis cap. 1. lib. 8. Polit.

ὁρὸς πάσας, δυνάμεις καὶ τέχνας εἶναι ἀδεῖω παίδευσθαι, sic in Dialectica maxime, quæ & ipsa præfandi modum artemque præscribit, ex artis, scilicet & scientiæ pertractandæ definitione, diuisione, fine, & cæteris proœmialibus quæstiunculis. Etenim intelligere oportet in primis in arte qualibet, quid sit id quod quærimus, quæ, & quot eius partes, quis vsus, qui finis: hæc siquidem proœmialia appellantur.

Dialectica igitur ὑπὸ τῷ διαλέγεσθαι, quod est differere, sic appellata, itémque Logica dicta ὑπὸ τῷ λόγῳ, à ratione seu mète, quam dirigit, est scientia organica, modum bene differendi explicans.

Est inquam scientia, quia reddit veram causam suarum conclusionum, quas de obiecto suo conficit, vt quòd modus bene differendi, qui Dialecticæ obiectum est, mentem dirigat, eamque errore liberet; quia rem distinctè vt est explicat; hoc pacto, omne instrumentum Logicum, quod rem distinctè explicat, vt in se est, dirigit mentem, eamque errore liberat: atqui modus bene differendi est instrumentum Logicum, quod rem distinctè explicat, vt in se est, ergo modus differendi dirigit mentem, eamque errore liberat: Item quòd definitio essentiam manifestet; quia expli-

cat & distinguit partes essentiæ, nempe genus & differentiam. Quod demonstratio pariat scientiam; quia constat principiis veris, primis, certis, immediatis, necessariis, & causam conclusionis continentibus; Quòd Syllogismus Dialecticus siue probabilis generet opinionem, quia constat propositionibus probabilibus: Quòd Sophisticus Syllogismus in errorem inducat, quia constat propositionibus, quæ apparent veræ, nec tamen sunt. Quamquam dici potest Dialectica ars, si artis nomen sumatur pro cognitione quavis methodica aliquid efficiendi, siue sit opus externum, siue internum: opera enim Dialectica siue Logica sunt interna, puta definitiones, diuisiones, ratiocinationes, & iudicia mentalia.

Dici etiam potest facultas, differendi scilicet de omnibus; prout in vsum reuocatur, siue quatenus est vtens, id est quatenus ipsius Dialecticæ præcepta applicantur quæstionibus & rebus quibuslibet explicandis, quo sensu scientia non est, quia non habet obiectum determinatum, quale requirit omnis scientia: at quatenus docens est, id est prout scientificè modum differendi pertractat, habet obiectum determinatum, scilicet modum differendi, cuius principia, partes, species, & proprietates & fabricam explicat.

Rectè ergo Dialectica statuitur scientia, ars, facultas, diuerso respectu; sed scientia maxime, cum sit & pars Philosophiæ quam

veteres in naturæ obscuritatem, vnde Physica; in differendi subtilitatem, vnde Dialectica; in vitam atque mores, vnde Ethica, distribuerunt. Huc enim pertinet triplex ille animi fœtus è philosophia ortus, vt præclare exponit M. Tullius libro 5. Tuscul. quæst. Vnus in cognitione rerum positus & in explicatione naturæ, qui Physica est. Alter in discretione expetendarum, fugiendarumve rerum, qui Ethica; Tertius in iudicando quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, qui Dialectica est.

Est autem modus differendi instrumentum Logicum menti siue rationi deseruiens, ad dirigendas ipsas mentis operationes, ad certam & claram veri cognitionem.

Estque quadruplex definitio, quæ naturam rei explicat. Diuisio, quæ totum diuidit in partes suas. Argumentatio, quæ vnum ex alio concludit; cuius præcipua species est Syllogismus, præsertim demonstratiuus, siue ipsa demonstratio, quæ definitur, Syllogismus necessarius, pariens scientiam. Denique methodus, quæ sermones & tractationes conuenienti ordine explicat. Et quia in his instrumentis Logicis Dialectica prorsus occupatur, ideo vocata fuit organum, vel scientia organica: non practica, siue actiua propriè, quia non versatur circa praxim propriè dictam, quæ est actio libera & moralis, cuius principium est electio; & in quâ probè digerendâ versatur philosophia morum, siue Ethica; neque Theoretica, aut contemplatiua, quia docet aliquid efficiendum, putâ syllogismos, definitiones; theoretica autem scientia non docet quidquam efficiendum, sed solâ cognitione veritatis contenta est. Potius ergo Dialectica dici debet effectiua, non operum quidem externorum, vt artes propriè dictæ, sed internorum, id est organorum Logicorum, siue modorum differendi.

Diuiditur Dialectica generatim in naturalem, quæ est ipsa ratio siue mens, proptè naturali lumine differit, vt cumque definiendo, diuidendo, ratiocinando: & artificialem, quæ ars ipsa est bene differendi, estque vel docens, nempe ipsamet scientia modum ipsum ac leges differendi certâ methodo explicans: vel vtens, quæ reuocat leges docentis in vsum, & hæc distinctio Dialecticæ est vnius eiusdemque habitus, qui pro diuersa ratione docens dicitur, vel vtens. Docentis Dialecticæ partes sunt quatuor.

Isagogica, quæ est de quinque vocibus siue prædicabilibus.

Categorica, quæ de categoriis siue summis rerum generibus.

Hermeneutica, quæ de interpretatione

siue fabrica enuntiationum, aut propositionum quibus quasi interpretamentis exprimentur ac declarantur sensa mentis siue cogitationes.

Analytica siue resolutoria, quæ est de argumentatione, præsertimque de Syllogismo, proptè consideratur secundum suam materiam & formam, atque in sua principia resoluitur, nempe in terminos, propositiones, figuras, & modos quibus constat componiturque omnis syllogismus, & hæc pars subdiuitur iuxta diuersitatem Analyseos, quæ vel est generalis in communem materiam, communemque formam omnium Syllogismorum: & hæc dicitur Analytica prior, quæ explicatur ab Aristotele libris duobus de priori resolutione, vbi generatim agitur de termino & propositione, vt sunt partes syllogismi: Itemque & maximè de formâ syllogisticâ, siue de figuris & modis construendorum syllogismorum: vel specialis, quæ fit in determinatam, ac specialem materiam Syllogismi, quæ quia est vel necessaria, vel probabilis, vel captiosa, ideo Analytica specialis est triplex; prima dicitur de Syllogismo necessario seu demonstratione, & explicatur libris posteriorum Analyticorum, quæ pars dicitur Analytica posterior, quia explicatur post priorem, estque de materia speciali, alicuius syllogismi, scilicet demonstrationis: secunda de Syllogismo probabili, quæ pars dicitur Topica, quòd communes locos tradat & Axiomata ad disputandum de omnibus probabiliter. Tertia de Syllogismo captioso, quæ pars dicitur Sophistica, quia Sophistarum fallacias & vitia Syllogismorum declarat & reprehendit; hæc partium Dialecticæ diuisio noua est, sed accurata planeque didascalica, & illustris finis Dialecticæ, est bene differere.

Bene autem differere, est rem obscuram & incognitam per id, quod clarius ac notius est, manifestare. Quod præstamus dum rectè definimus, diuidimus, ratiocinamur, ac sermones nostros legitimo ordine disponimus.

Dialecticus itaque is perfectus erit, qui probè intellectas definiendi, diuidendi, ratiocinandi & ordinandi leges, in vsum peritè sapienterque reducet.

Ordo & Syntaxis Dialecticæ.

Quamquam differendi modus & formula, quæ est oratio veritatis manifestatrix, obiectum est adæquatum & totale Dialecticæ, atque adeo iuxta diuisionem modi differendi, deberet in suas partes Dialecticæ diuidi, cum debeat ex Aristotelis decreto diuidi scientia omnis, iuxta ob-

iecti diuisionem, sicque deberent quatuor partes Dialecticæ constitui, cum differendi modus sit quadruplex, definitio, diuisio, ratiocinatio & methodus, quibus singulis singulæ partes Dialecticæ responderent. Quia tamen hi differendi modi sunt de rebus omnibus, siue de ente omni tam reali quàm logico, quod dicitur vulgò ens rationis: & constant præterea explicanturque terminis quibusdam communibus & logicis nēpe genere, specie, differentia, proprio, & accidente: imo & fere omnes propositionibus, siue enuntiationibus nituntur, vt affirmant vel negent; ideo aliter quàm per differendi modos debent distingui partes quatuor Dialecticæ, eo scilicet ordine, vt antequam de modis differendi sermo fiat, doctrina propositionum explicetur & categoriarum, & quinque illarum vocum, generis scilicet & speciei, &c. sine quibus nec esse nec intelligi possint modi differendi, cum definitio constet genere & differentia, diuisio sit generis in species, per differentias: Syllogismus demonstratiuus, vt definitio, pro subiecto habeat speciem, pro medio ipsam definitionem, pro attributo proprium.

Iam vero cum doctrina modorum differendi, quæ est Dialectica, ad mentis institutionem tota referatur: tribus autem modis possit mens institui ac dirigi ad cognitionē veritatis, quia mens tribus illis modis ac operationibus veritatem assequitur ac comprehendit, scilicet apprehendendo, iudicando, & discurrendo, siue ratiocinando: ideo tres libellos statuere æquissimum est, quorum primus sit de simplicibus terminis, tam Logicis & notionalibus, vt sunt

quinque voces, quàm realibus & categoricis, vt sunt decem categoricæ, è quorum terminorum cognitione, prima illa mentis operatio dirigitur; quæ scilicet est rerū simplex apprehensio, & quasi primus intuitus, affirmationis expers & negationis; vt est ea cogitatio quam mens format, audita hac voce sol: & præterea ipsa modi differendi materia & partes, quæ sunt ipsæ quinque voces, & categoriæ cognoscuntur. Secundus erit de propositionibus, quæ doctrina instruet secundam operationem mentis, quæ est affirmatio & negatio, siue iudicium; quò mens vnum de alio enuntiat, affirmando vel negando, vt Sol est lucidus, Sol non est elementum; & materiam præbebit Syllogismorum, ac Methodorum, propositionibus rectè dispositis & ordinatis constantium. Tertius de discursu, seu argumentatione & fabrica Syllogismorum, qui libellus tertiam mentis operationem, discursiue dirigit, & artem definitionum, diuisionum, ac methodorum breuiter perstringet. Enimvero discursus, siue argumentatio est ea mentis operatio quæ vnum ex altero concludit, vt sol est lucidus, ergo visibilis.

Hi potro tres libelli respondent; Primus quidem introductioni Porphyrianæ & Categoriis Aristotelis; Secundus libro de Interpretatione, Tertius analyticis, topicis, & elenchis.

Sed summas & argumenta librorum reperet studiosus lector ex commentariolis Synopseos ad eosdem libros; sequimur enim fastigia rerum, & doctrinæ disputatrici fundamenta notionesque præcipuas.

LIBELLVS PRIMVS DIALECTICES.

DE TERMINIS SIMPLICIBVS.



Timur vocibus ad loquendum vel differendum. Has voces vocant Logici terminos, quibus constant propositiones; qui termini si vna voce exprimuntur, dicuntur simplices, si pluribus, complexi.

Simplicium alij sunt purè Logici & notionales, qui rem nullam verè existentem significant, sed à mente finguntur, ad commodiorem veritatis cognitionem, dicunturque vulgò entia rationis, sunt enim duntaxat externæ denominationes, rebus ter-

minisve realibus attributæ ab ipso intellectu, vt facilius differat de rebus quibuslibet: termini ergo Logici sunt genus, species, differentia, proprium & accidens: alij reales & Categorici, qui res verè existentes significant, vt substantia, quantitas, qualitas, de quibus terminorum generibus particularim dicendum ac breuissimè.

Particula prima de quinque vocibus.

VNiuerſalia vulgò dicuntur quinque voces & prædicabilia, quia conueniunt multis, de quæ iis prædicantur ſynonymè & diuiſim, id eſt ſecundùm idem nomen, vt homo eſt animal; & ſignificationem vt animal eſt ſubſtantia viuens & corporea, compos ſenſus; hæc enim definitio animalis re vera homini conuenit. Ita tamen conuenit natura vniuerſalis multis, vt potè natura animalis hominibus & brutis, vt ea multiplicetur ad multiplicationem particularium, ſic natura animalis multiplicatur ad multiplicationem hominum & brutorum. Non ſic natura diuina, quæ licet ſit communis tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis, non eſt tamen vniuerſalis, quia non multiplicatur ad multiplicationem diuinarum perſonarum, alioqui eſſent tres Dii quod eſt falſum, quia natura diuina vt eſt maximè ens, ſic maxime vna eſt, ita vt repugnet eſſe plures Deos.

Sunt autem hæc voces ſiue vniuerſalia vel termini communes ac prædicabiles diſtincti à termino ſingulari, quòd terminus ſingularis de vno tantùm particulari prædicetur. vt Socrates de ſeipſo.

Vniuerſale generatim duplex. Eſſentiale, quod ad naturam rei pertinet ſiue ad eſſentiam, vt genus, ſpecies, differentia; vel accidentale, quod non pertinet ad eſſentiam: ſi tamen reciprocetur ſitque inſeparabile & à natura rei fluens, dicitur proprium; ſi autem ex ſpeciali natura rei non fluat, nec reciprocetur, dicitur accidens commune.

Diſtinctiùs ergo loquendo vniuerſalia ſunt quinque. Primum eſt genus, quod prædicatur de multis ſpecie differentibus, in quid, vt pars communior eſſentiæ, vt animal reſpectu hominis & bruti. Prædicari autem in quid eſt dici eſſentialiter, ſic enim animal de homine dicitur, quia pars eſt communior eſſentiæ hominis, cum conueniat etiam aliis, vt brutis. Secundum eſt ſpecies, quæ de multis indiuiduis ſolo numero differentibus prædicatur in quid vt tota eſſentia, ſic homo ſpecies eſt animalis, diciturque de Petro, Paulo & cæteris, qui non eſſentia quidem differunt, omnes enim conueniunt in natura hominis, ſed ſola multitudine ſiue multiplicatione eiufdem naturæ, in multa indiuidua: ea enim numero ſolo differre dicuntur, quæ in eadem prorsus natura multitudinem faciunt & numerum; non ſic diuinæ perſonæ, quæ diuinam non multiplicat, licet ipſæ multiplicentur.

Indiuiduum autem eſt, quod in alia non

diuiditur vt inferiora, diciturque de vno ſolo, id eſt de ſeipſo: aut de nullo, à ſe ſcilicet diuerſo, vt Plato de Platone, non autem de villo alio.

Tertium eſt differentia, quæ de multis ſpecie vel numero differentibus dicitur in quale quid, id eſt inſtar formæ ſeu qualitatis ſubiectum ſuum determinantis, vt ſenſituum de homine & bruto: rationale de hominibus, ad modum formæ Phyiicæ, à quâ definitio & ratio compositi perfecta deſumitur.

Quartum eſt proprium, quod de ſpecie cuius eſt proprium dicitur neceſſariò & reciprocè, atque adeo de omnibus ſub ſpecie contentis, vt riſibile de homine. Neceſſe enim eſt poſito riſibili poni hominem, & ſublato tolli, nempe quia proprium fluit ab eſſentia rei eſtque cum ea coniunctiſſimum.

Quintum eſt accidens commune, quod de multis prædicatur contingenter, nec reciprocè, vt album reſpectu marmoris, hominis, gallinæ.

De diuiſionibus, diſtinctionibus, canonibus, & locis communibus generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, & accidentis, legere oportet commentariolos noſtræ Synopſeos ad Iſagogem Porphyrij, & Topica Ariſtotelis, vbi hæc omnia clarè exponuntur.

Particula ſecunda, de Categoriis.

ARdua eſt & grauis doctrina Categoriarum, magnique vſus & momenti, non ad Logicam tantùm, ſed & Metaphyſicam, omnèſque Philoſophiæ partes, quæ de ente vniuerſim, vel de partibus entis differunt; ſunt enim Categoriæ veluti quædam familiæ, claſſes & ordines entis, ſeu compendia rerum omnium, certa ratione diſpoſitarum, vnde diſſerendi ampliffima materies petitur & ipſa ſcientiarum obiecta tanquam è locupletiffimo penu; depromuntur.

Κατηγορία, græca vox eſt accusationem ſignificans, *ὑπὸ τῆς κατηγορίας*, quod eſt accuſare, à iudiciis forenſibus vbi ſiunt accuſationes, translata in Lyceum ſcholæ ſue Peripateticæ, vt ſignificet, impropriè quidem, quoduis attributū ſiue prædicatum: propriè verò ſeriem & ordinem multarum naturarum eiufdem generis: vel etiam ipſummet genus ſummum, quod quia declarat ac veluti palam accuſat prædicatque eſſentiam earum rerum, quæ ſub ipſo diſponuntur, ideo Græcis *κατηγορία*, latinis prædicamentum nominatur. Eſt igitur Categoriæ ordo multarum naturarum ſub vno communi & ſupremo genere eâ ratio-

ne dispositarum, ut aliæ sint species infimæ, quæ indiuidua continent, aliæ subalternæ vel genera interiecta; aliæ genera summa: ita ut in vnoquoque ordine categorico, sit vnum genus summum, quod reliqua complectatur, ac veluti iis præsit. sic ordo substantiarum, tam animatarum, quam inanimatarum, simplicium, quam mixtarum; corporearum, quam spiritualium, quæ omnes sub vno summo genere scilicet substantia continentur, propriè Categoria est, ut & ordo quantitatum, qualitatum, actionum; & quia summum genus quodlibet, ut substantia, quantitas ordinem suum complectitur & explicat, ideo & propriè etiam Categoria vocatur. & cum simplici termino explicetur, propterea Categoriæ omnes ad terminos simplices eosque reales reuocantur.

Ut autem Categoriæ sunt genera & partes entis, pertinent ad Metaphysicam, quia sic diuidunt ens in summa genera: ut autem præbent materiam differendi, & ex iis constant definitiones, diuisiones, argumentationes, methodi, pertinent ad Dialecticam, diriguntque primam mentis operationem quæ est apprehensio simplicium.

Categoriæ sunt decem. Omne enim ens vel est per se, & hinc existit substantia, quæ vel est infinita ut Deus: vel finita, ut homo; sola autem finita substantia, integra & completa est summum genus siue Categoria.

Substantia Categorica diuiditur in spiritalem, ut sunt Angeli & Dæmones. Deus enim non est substantia Categorica, quia simplex est (immensus, ensque supertranscendens & simplicissimum:) & corpoream, quæ vel est simplex, ut cælum, elementa: vel mixta, quæ vel inanimata est, ut lapis, metalla: vel animata; quæ vel viuit tantum, ut planta: vel viuit & sentit, ut animal: quod est vel irrationale, ut brutum: vel rationale, ut homo. Homo autem in indiuidua diuiditur, siue singulos homines: sicque habet ordo Categoriæ substantiæ: vel ens est in alio, vnde accidens, cuius sunt

nouem genera, ordines, siue Categoriæ. Nimirum.

Quantitas, quæ vel est discreta, ut numerus: vel continua, eaque permanens, ut linea siue longitudo simplex: latitudo siue superficies: altitudo siue crassities: vel successiua, ut motus, actus entis in potentia, ut potentia: vel mobilis, ut mobile est: & tempus siue numerus, & mensura motus secundum prius & posterius; vel duratio rerum successiuarum & corruptibilium siue mobilium, ut dies, annus.

Relatio, quæ est ordo siue comparatio vnus ad alterum, ut ad terminum. Cuiusmodi est paternitas, per quam pater refertur ad filium; vel filiatio per quam filius ad patrem.

Qualitas, cuius quatuor sunt genera duplici nomine expressa, habitus & dispositio, bene vel male subiectum afficiens ad agendum. Sed habitus est constans, & firma qualitas, ut virtus perfecta, quæ a longo tempore in nobis est: dispositio, leuis & fugax, ut virtus incipiens in tyrone. Naturalis facultas & imbecillitas, ut visus, qui in iuvene dicitur facultas, quia robustior est & viuidior viuendi acies: in sene vel puero imbecillitas; quia imperfectior. Patibilis qualitas & passio, ut calor, pallor ex irâ procedens: forma denique & figura, ut forma externa hominis & figura rotunda, quadrangularis.

Actio, quæ vel est immanens & interna, ut videre: vel transiens & externa, ut calefacere, illuminare.

Passio, ut calefieri, illuminari.

Vbi, quod est esse in loco, ut Parisiis, in cubiculo.

Quando, quod est esse in tempore, ut heri, cras.

Situm esse: quod est certo modo esse in loco, ut sedere, stare.

Habere, quod est aliquid alteri adherere, ut esse vestitum, vel habere vestem.

Hi igitur sunt ordines Categoriarum, siue rerum omnium.

LIBELLVS SECVNDVS,

De Propositione siue Enuntiatione.



T in Grammaticâ primò simplices litteras & elementa discimus, eaque seorsim agnoscere & nominare docemur, ac deinde coniungimus per syllabas, ut tandem integras dictiones ac periodos pronunciemus. & congruè loquamur, affirmemúsque vel negemus: sic in Logicâ seruato naturæ ordine,

qui syntheticus est, siue compositionis à terminis simplicibus, & solitariis sumpto initio prouehimur ad complexos & coniunctos, qui vulgò dicuntur orationes, & enuntiationes & propositiones, quibus scilicet simplices termini connectuntur, ut sensum aliquem reddant, nostrasque explicent cogitationes.

E simplicibus ergo terminis simul verba,

li iunctis copula, quæ est verbum aliquod, vel ipsum substantium est, fit propositio quæ etiam dicitur interpretatio, quia interpretatur mentem, nostrasve cogitationes, & definitur oratio verum, vel falsum significans, vt Sol lucet, Sol est lucidus.

Propositio enim omnis constat nomine & verbo, atque vt oratio definitur, vox ex instituto hominum significans, cuius pars significat separatim, non vt affirmatio, aut negatio, sed vt dictio, vt homo albus & musicus: sic nomen, vox est ex institutione siue arbitrio hominum significans, sine tempore, cuius nulla pars significat separatim, vt est ipse nominis pars: verbum autem vox tempus ad significans, id est aliquid esse, vel fieri in tempore: cuius pars separatim nihil significat, estque eorum quæ de altero dicuntur, nota. Verbum enim indicat attributum dici de subiecto. Sic in hac propositione, Sol est lucidus. verbum, est, indicat lucidum dici de Sole. Omnis enim propositio constat subiecto & prædicato, seu attri-


buto & copulâ verbali, siue verbo.

Subiectum est id de quo aliud dicitur, vt Sol in allata propositione, attributum vel prædicatum est, quod dicitur de subiecto, vt lucidus, copula verbalis est verbum, est.

Fit tamen in quibusdam propositionibus, vt verbū sit simul copula & attributū: vt in his homo sentit, Petrus scribit, Deus est; quæ dicuntur de secundo adiacente: sed resoluuntur in eas quæ de tertio adiacente nominantur, vt homo est sentiens. Propositio omnis vel est affirmans, vera, simplex, vt ignis est calidus: vel negans falsa & composita, vt ignis non est calidus nec siccus.

Item absoluta, vt homo est animal: vel modalis, quæ explicat modum prædicationis, vt necesse est hominem esse animal.

Est enim quadruplex modus, Necesse, possibile, cōtingens, impossibile. Vnde existunt quatuor genera modalium. De oppositione, æquipollentiâ, conuersionibus propositionum consulenda Synopsis.



LIBELLVS TERTIVS,

De Discursu siue Argumentatione et formulis differendi.



VT in legibus ritè definiendi, diuidendi, ordinandi, sic maxime in fabricâ argumentationis, eiusque generibus & discursu dirigendo relucet ars bene differendi siue Dialectica. Sunt enim omnino quatuor differendi formulæ, quibus non licet philosophari, aut de re quavis aptè differere.

Enimvero in re qualibet vel consideratur essentia, cui respōdet definitio: vel partes aut quasi partes, vnde existit diuisio: vel facultates siue proprietates, vnde demonstratio, quæ ad argumentationem, siue Syllogismum refertur: vel denique ordo partium & proprietatum, vnde methodus.

Est siquidem definitio, oratio rei naturam explicans. At natura rei cuiusque explicatur, vel genere & differentiâ, vt homo est animal rationale, quæ ratio definiendi dicitur Metaphysica: vel materiâ & formâ, vt homo est substantia naturalis constans corpore organico vt materia, & anima rationali vt forma, quæ ratio definiendi dicitur Physica, quia fit per materiam.

Definitio propriè est specierum, quarum si differentiæ essentiales & infimæ ignorantur, vt fere fit, nam essentia rerum nos plerumque latent, eas supplebunt pro-

prietates, vel multa accidentia communia, simul coaceruata. Vnde diuiditur definitio in essentialem; & accidentalem: quæ posterior dicitur descriptio.

Omnis definitio debet esse clara, breuis, propria, non metaphorica. Ratio est, quia definitio rem obscuram explicare debet paucis, & secundum ea quæ rei propriè conueniunt.

Diuisio est oratio totum distribuens in suas partes, quomodocumque ex accipiantur.

Partes aliæ sunt Metaphysicæ, vt actus & potentia, genus & differentia: aliæ Physicæ, vt materia & forma: aliæ integrantes & quantitatiuæ, vt pars pedalis, bipedalis, brachia, pedes, in homine: folia, cortex, rami, in arbore. Ideo diuisio triplex. Metaphysica; Physica, integralis. quæ postrema propriè dicitur partitio. Diuisio etiam alia est accidentis in subiecta, vt candidi in lac, colorem, gipsum; alia subiecti in accidentia, vt hominis in nigrum, putâ Æthiopem, & album putâ Anglum: alia accidentis in accidentia, vt candidi in dulce, vt lac, & amarum, vt est succus esulæ, qui succus est amarissimus & albus siue lacteus in colore, iuxta illud Phytologorum.

Esula lactescit, sine lacte linaria crescit.

Methodus est recta ratio rerum considerandarum & tractandarum, cum ordine iusto & conuenienti: vel sermones, artes scientiâsque, inueniendi, disponendi, docendi, ac discendi, & quia ea ratio creat scientias, propterea scientiâ appellatâ fuerunt methodi certorum obiectorum, siue rerum, quæ in iis considerantur Methodus alia Synthetica siue compositionis, quâ à simplicibus ad composita; à partibus ad tota; à principiis ad principiata: à causis ad effecta progredimur. quæ Methodus seruat in Physica & in Dialectica. Alia Analytica Synthetica opposita, quæ seruat in anatome corporis humani, quæ diuidit totum corpus in partes etiam minimas. Alia horistica siue definitiua, qua artem vel artis finem primò definimus per partes: deinde ipsas partes sigillatim explicamus, vt fecit Galenus in arte parua Medicina.

Sed clarissima & præstantissima formularum differendi est argumentatio, in quâ idcirco præcipuas operas ponit Dialectica. Definitur autem argumentatio siue discursus oratio vnum ex alio concludens. Ideo partes habet duas: prior dicitur antecedens, siue constet vna, siue multis propositionibus: posterior consequens, vt omnis homo sentit, ergo omnis homo est animal.

Species siue genera argumentationis sũt quatuor.

Primus est Syllogismus, definiturque oratio, vel melius argumentatio in quâ ex quibusdam positis, aliud quiddam diuersum ab his quæ posita sunt, necessariò sequitur, eo quod hæc sint.

Quæ definitio clarè docet constare syllogismum tribus propositionibus: quarum prima siue maior, & secunda, siue minor dicuntur præmissæ & antecedentes: tertia ab his diuersa dicitur conclusio & consequens, quæ necessariò infertur, ex præmissis si Syllogismus bene fuerit formatus, vel vt scholæ loquuntur, si sit in modo & figurâ.

Exemplum esto

Omne animal est mortale,

Atqui omnis homo est animal.

Ergo omnis homo est mortalis.

Secundum genus est Enthymema, definiturque à Philosophis, Syllogismus imperfectus, in quo scilicet est vnica propositio præmissa, siue antecedens, è quâ colligitur conclusio, vt omne animal est mortale, ergo homo est mortalis.

Omittitur enim minor propositio, nempe omnis homo est animal, ac propterea in Enthymemate conclusio dicitur festinata.

Tertium est inductio *ἐπαγωγή* dicta, definiturque argumentatio, in quâ ex particularibus sufficienter enumeratis colligitur conclusio vniuersalis, vt vinum Aurelianense calefacit, vinum etiam Surrentinum, vinum Aisianum, vinum album, vinum rubrum, vinum Cretense siue Maluaticum, & cætera vina singula calefaciunt, ergo omne vinum calefacit.

Quartum est exemplum, græcè *παράδειγμα*, definiturque argumentatio in quâ concluditur ex simili, vt Aristoteles labore multo & studiorum patientia, optimoque fretus ingenio, euasit sapientissimus philosophus, ergo qui labori non parcat, eritque studiorum patiens, probèque ingeniatus, fiet similiter sapientissimus insignisque philosophus. His quatuor generibus argumentationis adduntur sorites & dilemma, quæ tamen referuntur ad syllogismum sub quo continentur. Dilemma enim duplex est Syllogismus vtriusque capiens: vt si est ducenda vxor, ea erit vel deformis, vel formosa: atqui non est ducenda deformis, quia displicebit: neque ducenda formosa, quia erit, vel esse poterit communis. Ergo non est omnino vxor ducenda. Si quis enim hanc argumentationem examinet, & discutiat, in duoseam resoluet Syllogismos: Sorites autem *ἐκ τῶν ὁμοίων* siue congerie propositionum nomen habens, est multarum propositionum consequentium & quarum alia ab aliis inferuntur, coaceruatio, quæ in plures Syllogismos resoluitur. Ac propterea in vno Syllogismo præcipuas ponit operas Dialectica, de cuius Syllogismi fabrica ideo dicendum est speciatim.



ARS SYLLOGISTICA, SIVE

De fabricâ Syllogismi.



T operis cuiuslibet artificiosi, sic & Syllogismi, duæ sunt partes, materia scilicet & forma.

Materia, alia est remota; suntque termini quibus constat Syllogismus, eos autem oportet esse

Tom. I.

tres, maiorem, minorem, & medium.

Alia proxima, suntque propositiones suis constantes terminis. Definitur enim terminus in quem resoluitur propositio: sic in hoc Syllogismo, Omnis virtus est laudabilis: sed omnis iustitia est virtus: ergo omnis iustitia est laudabilis. Terminus maior

F

qui dicitur etiam maius extremum est laudabilis : medius qui absolute dicitur medium, est virtus: iustitia autem est minor terminus, qui etiam dicitur minus extremum.

Forma Syllogismi est recta, certa que dispositio propositionum, e quibus constat Syllogismus, secundum figuram & modum.

Figura est apta collocatio medij cum extremis ad bene concludendum.

Modus est certa ordinatio, ac situs propositionum Syllogisticarum, secundum quantitatem & qualitatem, id est secundum vniuersalitatem & particularitatem: affirmationem & negationem in certa figura.

Figura triplex. Prima in qua medium est subiectum in maiori propositione, & predicatum in minori. Secunda in qua medium est predicatum in vtraque. Tertia in qua medium est subiectum in vtraque. Hæc doctrina declaratur, hic disticho.

Prima prius subicit medium, post predicat ipsum,

Alterabis dicit: tertia bis subicit.

Exemplum Syllogismi, primæ figuræ nouissime allatum fuit sic, omnis virtus est laudabilis, &c. Qui Syllogismus est in modo primo primæ figuræ, qui vulgò dicitur Barbara, & concludit affirmatiuè ac vniuersaliter.

Exemplum Syllogismi in secunda figura, & modo Cæsare vniuersaliter & negatiuè concludente, esto eiusmodi.

*Nullum vitium est laudabile,
Atqui omnis virtus est laudabilis,
Ergo nulla virtus est vitium.*

Exemplum Syllogismi, in tertia figura & modo Darapti, est eiusmodi.

*Omnis olor est albus,
Atqui omnis olor est auis,
Ergo aliqua auis est alba.*

Modi primæ figuræ sunt nouem. Nempe quatuor directi, quorum conclusiones habent pro subiecto minus extremum, pro predicato maius: & quinque indirecti, quorum conclusiones maius extremum habent pro subiecto, minus pro attributo.

Quatuor modi directi sunt Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

Quinque indirecti sunt Baralip. Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum.

Modi secundæ figuræ sunt quatuor, Cæsare, Camestres, Festino, Baroco.

Modi tertiæ sunt sex, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In omnibus modis notandæ sunt vocales quatuor *a, e, i, o.*

a, Significat propositionem vniuersalem affirmantem.

e, Vniuersalem negantem.

i, Particularem affirmantem.

o, Particularem negantem.

Primæ autem imo & aliæ consonantes in modis indirectis primæ figuræ & directis aliarum suos habent significatus, sed pertinent ad analysim & reductiones Syllogismorum imperfectorum ad perfectos, de qua arte Analytica tabellam edidimus ad libros Analyticorum Aristotelis in nostra Synopsi perlegendam in qua exempla singularum modorum perbellè disposita secundum figuras poterunt obseruari.

Leges Syllogismorum.

Prima. Omnis Syllogismus concludit necessariò, si non vi materiæ, id est propositionum, quæ non sunt semper necessariæ, saltem vi formæ Syllogisticæ, seu dispositionis terminorum. Quam legem aliter alij explicant dum aiunt; e duabus præmissis concessis necessariò sequi conclusionem.

Secunda. Omnis Syllogismus constans præmissis particularibus vel negantibus, nihil per se concludit, ideo vitiosus est hic Syllogismus:

*Aliquod animal est asinus,
Sed aliquis homo est animal,
Ergo aliquis homo est asinus.
& hic,*

*Nullus lapis est animal,
Atqui nullus homo est lapis,
Ergo nullus homo est animal.*

Tertia, In omni Syllogismo conclusio sequitur deteriorem partem, siue debiliorem; ita vt si vnâ præmissa sit particularis vel negans, debeat conclusio esse particularis vel negans: quia negatio pars est deterior, itémque particularitas. Fingantur exempla

Quarta, Syllogismus non debet plus concludere quàm probent præmissæ, alioqui vitiosus erit, vt patet hoc exemplo:

*Omnis causa peccandi tollenda est,
Atqui scæmina, gladius, vinum sunt causa peccandi, inducunt enim ad peccatum,
Ergo scæmina, gladius, & vinum tollenda sunt.*

Nimirum probat nempe absolute & simpliciter, cum tanùm probare debeat tollenda ea esse secundum quid, & sub ea sola ratione qua inducere possunt ad peccatum, id est secundum abusum, est siquidem reiiciendus abusus, vsus autem retinendus.

Quinta, In prima figura nullus Syllogismus directe concludit ex maiore particulari & minore negante. fingantur exempla:

Sexta, In secunda figura Syllogismus nihil concludit ex maiore particulari, nec ex

utraque præmissa affirmante, ideo non valent hi Syllogismi:

*Aliqua planta floret,
Atqui nulla ficus floret,
Ergo aliqua ficus non est planta.*

Et

*Omnis asinus est animal,
Atqui omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est asinus.*

Septima. Syllogismus è minori negante in tertia figura nihil concludit vt patet hoc Syllogismo.

*Omnis arbor est planta,
Sed aliqua arbor non est quercus,
Ergo aliqua quercus non est planta.*

Octava. In prima figura concluditur omnibus modis, id est, vniuersaliter, particulariter, affirmatiuè, negatiuè. Quia prima figura est perfectissima & aliarum basis.

Nona. Omnes Syllogismi secundæ figuræ concludunt semper negatiuè.

Decima. Omnes Syllogismi tertiæ figuræ concludunt tantum particulariter: fingantur exempla pro otio & diligentia cuiusque.

Vndecima. Veritas, visque concludendi modorum indirectorum primæ figuræ; omniumque aliorum tam secundæ quam tertiæ, resoluitur reduciturque in primam figuram, ac per illius modos directos clarissimè & certissimè comprobatur, quia illorum modorum indirectorum & aliorum ad alias figuras pertinentium veritas & certitudo; à veritate ac certitudine modorum primæ figuræ omnino dependet, quæ cum sit prima in genere suo, est etiam mensura cæterarum. Sicuti Deus, qui prima est veritas siue primum verum, vt primum ens, est mensura veritatis & essentiæ ac perfectionis omnium creaturarum, quæ ab ipso dependent. Sed hæc ratio dependentiæ modorum indirectorum primæ figuræ & modorum secundæ & tertiæ, fiet clarissima ex doctrina Analyticorum & tabella Analytica nostræ Synopsos, mox exhibendæ.

Quæ & quot sint genera Syllogismorum.

VT pro diuersa ratione formæ Syllogisticæ secundum dispositionem terminorum ad bene concludendum, tres figuræ constituuntur: sic pro diuersa conditione & natura propositionum Syllogisti-

carum, distinguunt Dialectici diuersa genera Syllogismorum, habita nimirum ratione materiæ Syllogisticæ, quæ quia quadruplex est: genera etiam Syllogismorum sunt quatuor.

Etenim si propositiones sunt necessariæ, existet demonstratio quæ est Syllogismus epistemonicus siue scientificus qualis est hic,

*Omne animal rationale est capax doctrinæ,
Atqui omnis homo est animal rationale,
Ergo omnis homo est capax doctrinæ.*

Demonstratio autem alia dicitur per causam, vt illa; alia per effectum, vt probare hominem esse animal rationale, quia est capax doctrinæ.

Si verò appareant propositiones necessariæ, nec sint, existit Syllogismus demonstrationi cōtrarius: qui dicitur Pseudographus, vel *ψευδογράφημα*, pariens errorem scientiæ contrarium, qualis perhibetur hic Syllogismus. Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto, ad idem punctum sunt æquales: Atqui diameter & semi circulus sunt lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum: Ergo diameter & semicirculus sunt æquales. Conclusio est erronea quia maior apparet necessario vera, nec est, nisi addas, si per eandem lineam eandemque viam ducantur.

Iam verò si propositiones Syllogisticæ sint probabiles, existit Syllogismus probabilis qui dicitur Dialecticus, & qui opinionem ac credibilitatem generat, vt est hic Syllogismus.

Quicumque loca frigidiora incolunt, sunt audaces & bellicosi,

Atqui omnes homines Septentrionales incolunt loca frigidiora,

Ergo omnes Septentrionales sunt audaces & bellicosi.

Maior enim propositio probabilis est duntaxat, & fere vera vt plurimum, sed non necessariò.

Denique si propositiones appareant probabiles, nec sint, inde existit Syllogismus Sophisticus falsam inducens opinionem, ipsi Dialectico cōtrarius, qualis est hic,

Id habes quod non amisisti,

Atqui non amisisti mille aureos,

Ergo habes mille aureos.

Conclusio est falsa, quia sequitur è maiori, quæ apparet probabiliter vera cum falsa omnino sit; sed de parte secunda Breuiarij fati.

PARS TERTIA BREVIARII
PHILOSOPHICI.

DE PHYSICA

CAPITVLVM PROOEMIALE.



Quam Græci φυσικὴν ἐπιστήμην vel φυσιολογίαν vocant ἀπὸ τῆς φύσεως quod est natura, καὶ λόγου quod est sermo, latini naturalem appellant Philosophiam, vel scientiam naturæ, siue rerum omnium naturalium.

Est enim Physica scientia corporis naturalis, vt naturale est, contemplatrix.

Corpus autem naturale est substantia constans materia & forma, habens in se principium motus & quietis.

Estque corpus idem naturale obiectum Physicæ, quia illius principia, causas, proprietates, partes, speciesque omnes explicat ipsa Physica, totaque occupatur in corpore naturali considerando.

Vt verò in omni Philosophiæ parte excelluit Aristoteles, sic maximè in Physica, vnde dictus est naturæ genius. Non enim accuratè tantum, sed & vberimè res naturales exposuit, nempe scientifica methodo & historica quadam enarratione, hinc Physica duplex.

Ætiologica & accurata, siue acroamatica; quæ rerum naturalium causas scientificè explicat, quam tradit Aristoteles libris Physici auditus, de cælo, de generatione, de meteoris, de anima,

Historica, quæ facili enarratione & apertiore stylo naturæ pertexit historiam, quam tradit Aristoteles libris de historia, & partibus, & generatione animalium.

Physica Ætiologica, sic ab Aristotele digesta est, vt primùm de principiis corporis naturalis, materia, forma, & priuatione: atque de communibus eiusdem proprietatibus, scilicet quantitate, motu, loco, & tempore pertractauerit, octo libris Physicæ auscultationis. Deinde de corpore naturali simplici, tam incorruptibili, vt sunt cæli & astra, quàm corruptibili, vt sunt elementa, libris quatuor de cælo, tum de ortu, interitu, actione, passione, accretione, decretione, alteratione, mixtione rerum elementarium, libris duobus de generatione & corruptione, postea de mixtis imperfectis, quæ meteora dicuntur, tribus libris Meteororū, quàm perfectis, inanimatis quidem, vt lapidibus, metallis, mineralibus, eorumque qualitatibus actiuis & passiuis, item coctione, incoctione, concretione, liquatione, libro quatto Meteororū; animatis verò libris tribus de anima & aliis paruis naturalibus, appellatis, de sensu & sensili, vita & morte, iuuentute, senectute, memoria & reminiscencia, de somno & vigilia, &c. Quarum rerum breue argumentum damus, ducto ab ipsis principiis principio.

PARTICVLA PRIMA.

De principiis corporis naturalis.



Principium est id primum, è quo aliquid est, vel fit, vel cognoscitur, vt vnitas, è qua numerus, punctum, è quo linea, lignum, è quo cathedra, & hæc principia dicuntur simplicia siue incompleta & rei. Alia enim sunt complexa & cognitionis, vt axiomata, definitiones, & propositiones scientiarum, quibus res cognoscuntur; hoc loco sermo est de principiis simplicibus & rei, è quibus fit, constarque corpus naturale.

Corpus ergo naturale spectatur, vel in fieri, id est quatenus generatur; vel in facto esse, id est, quatenus iam est genitum & compositum, atque in sua natura permanens. Vnde principia Physica alia sunt generationis, seu in fieri; alia compositionis, seu in facto esse. Illa sunt, quæ nec ex se mutuo, nec ex aliis sunt, sed ex ipsis omnia; suntque tria: Materia, forma & priuatio. Cum enim nihil fiat naturaliter ex nihilo, quidquid sit fiet ex aliquo, vt è subiecto præiacente. Alioquin crearetur, si non fieret ex subie-

Et præiacente : id autem ex quo infito aliud fit, materia est : Ita ut cum id quod fit, non sit antequam fiat, illa absentia rei generandæ, siue ipsa non existentia rei, vel formæ in subiecto & materia, dicitur priuatio, quæ est absentia formæ generabilis in subiecto ad illam apto, è quo nempe ipsa forma produci possit.

Denique cum per generationem aliquid producat, illud aliquid quod primò producit formæ est, quæ est ratio essentiæ cuiusque rei propriæ.

Est enim forma finis siue terminus proximus generationis. Remotus autem & vltimus, ipsum compositum, siue totum

Physicum; quod non differt à forma & materia simul vnitis; hinc tria principia distinguere licet in generatione ignis ex ligno: lignum enim materia est ignis: priuatio est absentia formæ ignis in ligno aliquo, antequam illa producat; ipsa autem forma est propria ignis essentia, quæ forma simulatque genita est, ab ipse priuatio, id est nõ ignis, remanentque simul post absolutam generationem materia & forma quæ ipsum totum Physicum componunt, ideoque sunt principia compositionis sola; priuatio enim nihil componit, cum sit nihil, & non esse purum formæ in subiecto apto ad illam formam.

PARTICVLA SECUNDA.

De causis corporis naturalis.



E sunt quatuor: internæ duæ, quæ rem componunt; materialis & formalis: quarum illa dicitur natura passiuæ, hæc actiuæ: omnis enim actio & virtus à forma est; pati autem & recipere proprium est materiæ quæ ex se ignaua est, nullamque habet vim ad agendum. Est autem natura principium & causa motus & quietis eius rei in qua est primò & per se, & non per accidens. Sic causa cur lapis tendat deorsum & in centro mundi siue terra quiescat, dicitur natura lapidis. quia natura est origo & principium internum omnium actionum & virtutum quæ sunt in rebus.

Externæ duæ, finalis, quæ est id cuius gratia aliquid fit, vt Dei cultus, sapientia, virtus; propter quam homo nascitur; & efficiens, quæ est id vnde, vel à quo aliquid fit, vt Deus & parentes respectu liberorum, siue prolis.

Nihil autem agit efficiens, nisi proposito fine, omnia enim vt propter bonum, sic &

propter finem agunt. Ad causam efficientem refertur idea siue causa exemplaris, quæ est ratio agendi in iis quæ agunt per intellectum vt artificibus & Deo. Causæ respondet effectus: estque res naturalis ab efficiente, propter finem facta, ex materia, per formam.

Atque vt causæ commemoratæ dicuntur causæ per se: sic casus & fortuna dicuntur causæ per accidens, quæ in iis sunt quæ præter intentionem fiunt, & non ex destinato.

Fortuna enim est in humanis, atque iis agentibus quæ agunt ex consilio.

Casus in naturalibus, quæ non agunt ex consilio, seu propria cognitione, sed pondere, aut impetu naturæ, vt si tegula in caput hominis ad templum euntis è tecto cadat; erit casus, nimirum respectu lapidis: respectu autem hominis, fortuna.

Monstra, vt infantes bicipites, referuntur ad effecta fortuita naturæ impeditæ, & à tecto solitoque fine deerrantis.

PARTICVLA TERTIA,

De proprietatibus communibus corporis naturalis.



E sunt quatuor:
Prima est quantitas siue magnitudo, omne enim corpus suam habet extensionem, quæ in viuentibus est definita ad certos terminos: sic homines crescunt ad certam ma-

Tom. I.

gnitudinem, in aliis rebus minimè, aut negligenter.

Secunda est locus. Omne enim corpus alicubi est in certo videlicet loco. Definiturque superficies siue extremitas corporis continentis, immobilis, & prima. Non

F iij

enim datur locus vacuus in natura, quia ordo & cohesio corporum dissolueretur, sicque rerum natura periret, quæ unio- nem amat, mutuúmque auxilium quod est à contactu, proximitate, viciniâ.

Tertia est motus, quia omne corpus mó- bile est, potéstque moueri; vel motu lo- cali; vt gráua deorsum, leuia sursum, cœli circulariter: vel motu alterationis, quæ est mutatio in qualitàte, vt cum res frigida fit calida: vel motu accretionis, vt cum res crescunt, fit enim motus ad tres Catego- rias, qualitatem, quantitatem, & vbi.

Motus porro definitur actus entis in po- tentia vt potentia: vel actus mobilis vt mó- bile est, vt calefactio aquæ, quæ vt sic ten- dit ad calorem, ad quem est in potentiâ, & quem cum acquisierit desinet ipse motus calefactionis, quia acquisito termino cessat motus.

Quarta est tempus. Omnia enim sunt in tempore, quod est duratio rerum mó- bilium & caducarum: vel numerus aut mensura motus, secundum prius & poste- rius: vt dies, hora, annus.

PARTICVLA QVARTA,

De corpore naturali; speciatim, de Mundo.

ARTICVLVS I.

Mundus Græcis κοσμος est or- do & syntaxis rerum natu- ralium: vel compages è cœ- lo terraque & iis naturis, quæ inter ea continentur, coag- mentata, ad vsum hominis, & ad Dei gloriam, ipsa diuina virtute ctea- ta.

Creationem Verno tempore factam, vt Philosophi veteres, ipseque præsertim Ari- stoteles, qui mūdum putat fuisse ab æterno, non agnouere: sic & eius desitionem, ne- mo nisi reuelante Deo potest cognoscere.

De Cælo & Astris.

ARTIC. II.

Cœlum est corpus simplex, naturale, luminosum, materia ab elementari di- uerſa, formæque præstantissima constans, omnis expers corruptionis, perpetuo ac cit- culari motu, circa mundi centrum siue ter- ram à præside intelligentia, quasi ab assistē- te anima, sapientissimè agitatam, ad mundi totius conseruationem & rerum elementa- rium in quas influit, generationem.

Cœli sunt vndecim. Primum & infu- mum est Lunæ, secundum Mercurij, ter- tium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum dicitur Firmamentum aplanis, in quo sunt stellæ fixæ, mille vt aiunt viginti duæ, siue astra, quæ sunt partes densio- res ipsius cœli, vt nodi abulæ, nonum & de- cimum vocantur orbis crystallini, sine stel- lis; quorum scilicet puritas splendorque crystallinus fulgores compenset stellarum,

aut suppleat Vndecimum est primum Mo- bile, quod viginti quatuor horis motum absoluit, ab Oriente in Occidentem: supra vndecim illos mobiles cœlos eminent Em- pyreum cœlum, quadratè, vt aiunt Theolo- gi, figuræ; quod cœlum ignorauit vetus Phi- losophia, imo Aristoteles & Plato cœlos duntaxat octo agnouerunt. Est autem cœ- lum Emphyreum aula Dei, paradus, sedes- que beatorum.

De Elementis.

ARTIC. III.

Acœlesti mundo descendere fas est in elementarem, qui constat elementis quatuor, & mixtis omnibus, quæ à cœlesti ac superiore mundo regantur, æquū enim est inferiora gubernari à superioribus. Ele- mentum est corpus naturale, simplex, cor- ruptibile, in quod alia corpora, quæ mixta sunt ex iis, resoluuntur, in quibus inest actu, vel potentia: ipsum autem in alia corpora non resoluitur.

Elementa sunt quatuor

Ignis, qui definitur elementum summè calidum, summè leue, excellenter siccum, subtilissimum, rarissimum, in concauo lunæ situm, licet ibi non videatur, ob nimiam raritatem; rara enim vix videri possunt.

Aër element summè humidum, secundū quid leue, mediocriter calidum, subtile, ra- rum, igni suppositum, & in tres distinctum regiones; summam, quæ est vicina igni; me- diam, in qua nubes creantur: & infimam, in qua viuimus.

Aqua, elementum summè frigidum, se-

cundum quid graue, excellenter humidū, aëri suppositum, in mare distinctum & fluuios, lacus, stagna, fontes, & riuulos

Terra, elementum summè siccum, summè graue, summè crassum, mediocriter frigidum, in centro, id est, in medio mundi situm, aquarum riuus & ductibus, quasi venis distinctum, ad commoda animalium, cum aquâ globum vnicum constituens.

Agunt in se inuicem elementa, quia contraria sunt, vnde facile miscentur, sed cum sui pernicie ac detrimento, retusis videlicet ipsorum qualitatibus, ac virtutibus, formis verò extinctis, sic enim mixta oriuntur varia, secundum varietatem mixtionis elementorum, quæ nimirum vt eleganter Poëta cecinit vitam mixtis & semina præbent, nascendique vices alternâ morte rependunt.

De mixtionibus & mixtis.

ARTIC. IV.

Mixtio est miscibilium siue elementorum alteratorum vnio, ad producendum mixtum. *ἡ μίξις τῶν ἐνωσῶν.*

Elementa miscentur, vel imperfectè, dum scilicet essentiam formamque retinent, sed mutatam secundum qualitates, vt cum ex aqua fit vapor. Vapor enim est aqua subcalida, rara, leuis, vnde meteora; quæ definiuntur corpora imperfectè mixta sic dicta, quòd in sublimiore loco magna ex parte procreentur. Nam *μετέωρον* est sublime, siue altum: vel elementa miscuntur perfectè, dum propriam essentiam formasque suas substantiales amittunt, & succedit propria ac essentialis forma mixti, vt cum è quatuor elementis probè mixtis fit aurum, lapis, planta, tunc est mixtio perfecta. Igitur ex elementis imperfectè mixtis, siue ex imperfectâ mixtione meteora creantur.

De Meteoris.

ARTIC. V.

Meteora fiunt ex terrâ & aquâ, vt ex materiâ remota. Ex exhalatione & vapore, vt proxima. Exhalatio est halitus terræ, calidus & siccus: qui si pinguior est & viscosus, materia est meteororum igneorum, vt cometarū: si macer & aridus, flatuum siue ventorum.

Vapor est halitus aquæ calidus & humidus: vnde nubes, pluuia.

Forma meteororum non differt essentialiter à formâ elementorum, è quibus fiunt, sed tantum secundum qualitates. Re-

manet quippe in meteoris formâ & essentia elementorum, sed alterata, sic vapor, nubes est essentialiter aqua, sed leuior, rarior, minusque calida.

Causa efficiens est Sol, qui calore suo vapores & exhalationes mouet attrahitque.

Finis est utilitas naturæ inferioris, frugum, fructuumque generatio & maturitas.

Meteora alia ignea, quæ pro exhalationis magnitudine, figura & dispositione, diuersa sunt: & nunc in summo aëre gignuntur, vt cometæ, lanceæ; nunc in medio, vt fulgura, fulmina: nunc in imo, vt ignes fatui Castoris, Pollucis, Helenæ.

Alia aquea, quæ ex vapore fiunt in medio aëre, vt nubes, pluuia: vel in imo, vt grando, nebula, ros, pruina.

Vel in terra, vt glacies, ad quam crystallum referunt, & græcè *κρυστάλλος* est glacies.

Alia lucida, vt varij colores in aëre & nubibus apparentes, è lumine, eiusve reflexione nati, vt voragine, hiatus, virgæ, parelij, iris, decus & miraculum meteororū, mille trahens varios aduerso Sole colores.

Alia sicca, vt terræ motus, venti, qui quatuor sunt præcipui.

Subsolanus, flans ab Oriente.

Zephyrus, ab Occidente.

Aquilo, à Septentrione.

Auster, à Meridiè.

Interiectos ventos, distinguere & commemorare, puta viginti octo, vt obseruant nautæ, alterius est loci, vt & singulorum virtutes & qualitates. Sunt autem flabella saluberrima, si ex Septentrione & Oriente flauerint, euerricula aëris, sic enim producit Deus ventos de thesauris suis, vt canit Regius psaltes.

De perfectè mixtis inanimatis.

ARTIC. VI.

Eorum genus primum dicitur fossile: quod ita effoditur è terrâ, vt cum aliis corporibus diuersis mixtum non sit; nec eget arte, vt purgetur; estque vel liquabile, vt sulphur, naphtha, sal fossile; vel non liquabile, vt lapides: qui vel sunt communes, vt saxum: vel pretiosi & lucidi, vt adamas, saphirus, smaragdus.

Secundum genus dicitur metallum, ex sulphure & argento viuo, in terra genitum, calore excoctum, frigore condensatum, durum, liquabile, ductile, vt aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, plumbum, quorum puritas in fornacibus probatur.

Tertium dicitur neutrum, vt succi, vel liquores expressi è plantâ, aut fructibus, vt oleum, vinum, pomaceum; vel ex anima-

hi, ut mel, sanguis, lac, quibus & adiiciunt nonnulli semen, licet dicatur potētia viues & animatum.

De corporibus perfecte mixtis & animatis.

ARTIC. VII.

CORPUS naturale, perfecte mixtum, animatum & viuens constat partibus duabus, nempe anima & corpore; non simplici aut homogeneo, cuius scilicet partes omnes sint eiusdem rationis, ut partes aquæ, partes auri, quæ ideo dicuntur similes: sed organico & heterogeneo, id est partibus diuersa ratione temperatis, aliterque efformatis, ad diuersa vitæ officia instructo, & præparato. Enimvero plures sunt & variæ facultates & operationes animæ, ut attrahere cibum, eundem retinere, sentire, moueri, siue videre, audire, ambulare, vnde necessaria fuerunt organa siue instrumenta diuersa in corpore viuente, vel animato, cuius videlicet anima dicitur *εντελέχεια*, id est, actus siue forma, vel perfectio substantialis. Anima siquidem definitur actus corporis naturalis organici potestate vitam habentis, vel principium primum quo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus, ex lib. 2. de Anima, cap. 1.

Anima triplex, vegetans, sentiens, & rationalis. Vegetans est principium nutriendi, crescendi & generandi sibi simile; quæ sola plantis inest; qui enim sensum tribuunt stirpibus, stipitibus & truncis, duriores sunt ipsis stipitibus & truncis, magisque lignei quàm ligna ipsa, inquit, D. Augustinus. Sentiens est principium vitæ & sensus, per quod animal formaliter est animal.

Sensus autem est facultas certo corporis organo insidens, & circa obiectum sensibile occupata, estque duplex.

Exterior, cuius organum est extra cerebrum ut visus, qui in oculo residet, & circa colores & lumen occupatur: auditus, qui in aure & sonum pro obiecto habet: odoratus, qui in nare interna vel carunculis mammillaribus, & odorem percipit: gustus, qui in lingua & sapes sentit: tactus, qui in cute, & qualitates tactiles ut calorem, frigus, mollitiem, duritiem percipit.

Interior, cuius organum est in cerebro

reconditum, eiusve ventriculis.

Sensus interior est quadruplex:

Communis, qui iudex est externorum omnium, eorumque obiecta distinguit.

Phantasia, siue imaginatio, quæ rerum sensibilibus imagines excipit ac repræsentat.

Æstimatiua, quæ iudicat ac determinat de faciendis ac fugiendis.

Memoria sensitiva, quæ res iam perceptas retinet, quasi arca & thesaurus.

Sed non omnes sensus omnibus insunt animalibus, ut neque facultas motrix; hinc distinctio animalium in perfecta, quæ omnibus sensibus prædita sunt, & se se locouent: & imperfecta quæ quibusdam sensibus carent, atque etiam loco non mouentur, ut sunt *ζώοντα*, mituli & conchilia, quæ testis siue saxi adhærescunt.

Omne animal tactum habet, sub quo sensu gustus comprehenditur, ut omne viuens quandiu viuit nutritur, quia vita in nutritione consistit.

Rationalis est principium vitæ, sensus, & rationis; vel forma hominis, ut homo est, quæ Deum vnum & trinum tanquam viua illius imago pulcherrimè repræsentat, ut enim Deus essentia vnus est, personis trinus: sic anima rationalis, quæ sola spiritalis est & immortalis, secundum substantiam vna est simplex, indiuidua, tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, ut Deus in toto mundo. At secundum facultates trina est, cum prædita sit intellectu, voluntate, & memoria.

Intellectus siue mens est facultas qua cognoscimus & intelligimus quidquid est intelligibile, id est omnia entia, etiam figmenta & entia rationis imo & nihil, de quo etiam mens philosophatur.

Voluntas est facultas animæ intelligentis, per quam liberè volumus, nolumus, eligimus, respuimus.

Memoria est facultas per quam res intellectas retinemus, & asseruamus ut iam intellectæ & cognitæ fuerunt.

Sic Physica in homine desinens, ut obiecto suo principali, eiusque animam tanquam Dei imaginem ut pote spiritalem, immortalem, intellectu & libertate præditam cognoscens, inter facit ad Theologiam naturalem, quæ vulgò prima Philosophia & Metaphysica nominatur, differitque ex professo ac generatim de ente: speciatim vero de Deo & Angelis rebusque spiritalibus, & à materia separatis.



P A R S Q U A R T A,

B R E V I A R I I P H I L O S O P H I C I,

D E M E T A P H Y S I C A ; S I V E
T H E O L O G I A N A T V R A L I.

C A P I T V L V M P R O O E M I A L E.




VT Physica res naturales & corporeas, quæ materia constant & forma contemplatur: sic Metaphysica res incorporeas, & materiæ expertes, quæ diuinæ dicuntur, spirituales & transnaturales. Imo cum sit Metaphysica scientiarum vniuersalissima, differit de rebus omnibus, vt in ente conueniunt, & à materia re & ratione separantur: differit autem accuratè per supremas causas, primæque principia: vnde nominata fuit sapientia, quæ est cognitio scientifica & præstantissima rerum altissimarum ac diuinissimarum per summa principia causasque vniuersales.

Est igitur Metaphysica scientia omnium princeps, entis vtens est, contemplatrix.

Vnde quia omnia ente continentur, omnia etiam à Metaphysica quodam modo considerantur; non quidem speciatim, & secundum proprias naturas, vt pote homo, prout homo est; sed vt sunt entia, & quatenus habent esse, explicanturque communibus entis proprietatibus, & generalibus attributis vno, vero, bono, eodem, diuerso, causa, effectu, actu, potèntia, parte, toto, & similibus terminis.

Agit ergo Metaphysica primò de ente generatim; eius principiis, essentia scilicet & existentia; & partibus, nempe substantia, & accidente, siue de summis generibus entis & categoriis, vt res sunt, siue partes entis, deque eius communibus proprietatibus; deinde speciatim de substantia spiritali, siue spiritu; Deo scilicet & Angelo.



P A R T I C V L A P R I O R,

De Ente generatim.

ENS vniuersim dicitur quidquid verè & realiter est, aut esse potest.

Hac veluti definitione, neque enim definiri accuratè ens potest cum careat genere, sed describi tantum, excluditur ens rationis quod verè non est, sed per solam mentis cogitationem, siue sit negatio, vt non homo, siue priuatio, vt tenebræ, cæcitas, quæ sunt negationes formarum vt pote luminis & visus in subiectis ad illas formas recipiendas aptis: aère scilicet & oculo, siue relatio rationis, vel secunda intentio logica, vt genus, species, subiectum, prædicatum, de quibus in Logica. Itaque ens rationis dicitur ens nomine tenus & æquivoçè, vt homo piæctus qui dicitur homonymè, homo.

Ens verum & reale, vel est per se, estque substantia; vel in alio, vt in subiecto inhæsi-

nis, estque accidens.

Substantia definitur ens per se subsistens, vt arbor, homo. Accidens entis id est substantiæ ens, siue ens in alio existens tanquam in subiecto inhæsiõis, vt albedo in homine.

Substantia alia est spiritalis, quæ vel infinita est, & increata, vt Deus: vel finita & creata, vt Angelus: alia corporea & materialis, quæ pertinet ad Physicam.

Omnis substantia vel est categorica, vel non. Sed Categorica finita esse debet, completa, integra, siue totalis. Ideo Deus non reponitur in Categoria: quia est infinitus essentia & virtute: neque anima rationalis, quia est substantia partialis & incompleta, cum sit pars hominis. Reducitur tamen ad Categoriã hominis, quia pars omnis reducitur ad Categoriã sui totius, scilicet indirectè, lateraliter & reductitiè, vt explicatur in Dialectica, per lineam directam, quæ est ordo generum & specierum,

vsque ad indiuidua; & indirectam quæ partes, formas, & differentias describit ad latus generum & specierum.

Accidens diuiditur in nouem Categorias: quantitatem, relationem, qualitatem, actionem passionem, ubi, quando, situm esse, & habere, de quibus parte secunda dictum est in Dialectica, quæ de Categoriis agit, quatenus earum notitia dirigit mentem ad differendū. Metaphysica, autem ut sunt partes, aut genera entis, Ens quod est obiectum Metaphysicæ, habet principia, simplicia & complexa.

Simplicia, sunt essentia & existentia.


Essentia est id quo res est id quod est. Sic animal rationale est essentia hominis, quia per animal rationale homo est homo, siue id quod est in se.

Existentia est modus quo essentia est actu extra suas causas, utpote cum est producta & existit actualiter. Principia complexa entis sunt axiomata & propositiones generales de ente, ut impossibile est aliquid esse simul & non esse; quodlibet est, vel non est; omne ens habet esse.

Sed ut ens generatim est duplex, substantia, & accidens: sic existentia vna est propria substantiæ, quæ dicitur hypostasis siue substantia, per quam substantia est per se & incommunicabiliter, quæ si intelligen-

tiæ est particeps dicitur persona, si minus, suppositum. Altera accidentis, quæ dicitur inhærentia, quia accidentis esse est inesse scilicet in substantia ut in subiecto inhætionis.

Proprietates entis, simplices quidem, sunt tres, vnitas, veritas, bonitas, quia omne ens est vnum, verum, bonum. Ita ut quod ens est magis ens, siue perfectius, eò magis sit vnum, magis verum, magis bonum. Vnde Deus est maximè vnus, maximè verus, maximè bonus: quia maxime ens. Ratio enim entis est prima radix ac veluti fons, vnde manant proprietates modique omnes ipsum ens afficientes ac exornantes. Vnum est id quod in se indiuisum est, & diuisum à quolibet alio. Verum, quod est ut esse debet, secundum suam naturam. Bonum, quod in se perfectum est & conueniens & appetibile, siue quod appetunt omnia. ex 1. Ethic. Nicom. Proprietates complexæ entis sunt etiam tres, nempe esse actu, ut est Deus, vel potentia ut est Anti-christus, esse idem, vel diuersum genere, specie, numero. esse necessarium quod nēpe aliter esse nequit ut ignem vrere; vel contingēs quod aliter esse potest, seu esse, vel non esse, ut studere, vel non studere.



PARTICVLA POSTERIOR,

De Ente speciatim, siue de substantia spiritali.



T ens quatenus ens est, totale est obiectum Metaphysicæ: sic substantia spiritalis obiectum est eiusdem, sed partiale seu speciale, maximèque proprium. Cum nulla alia scientia de substantia spiritali differat ex professo, præter Metaphysicam. Definitur substantia spiritalis siue spiritus, ens per se & sine materia, corporea ve mole subsistens, intelligentiæ compos, & libertatis. Siue ut loquitur Aristoteles expeditiùs οὐσία κεραισμένη, substantia separata, scilicet à materia.

Estque vel completa seu perfecta, ita ut nihil componat, ut Deus, Angelus: vel partialis & incompleta, ut anima rationalis, quæ hominem componit, estque Physicæ considerationis prout est forma hominis, licet ut separata à corpore, & viuens sibi instar Angeli pertinere possit ad Metaphysicam.

Substantia spiritalis, perfecta, & completa, vel est increata, æterna, infinita, & independens, ut Deus: vel creata finita &

dependens, ut Angelus.

Deus iuxta doctrinam ipsius Aristotelis octauo Physicorum & decimo quarto Metaphysic. vnus est, incorporeus, immutabilis, æternus, infinitus, perfectissimus, per se beatissimus, sibi sufficientissimus, primum ens, prima intelligentia, prima causa, primus motor, ut qui immotus in se, cælum tamen primum mobile, adeoque totum mundum moueat, regat, & viuificet, detque cuncta moueri.

Cæteræ autem intelligentiæ, seu Angeli præsent inferioribus cælis, eosque mouent, ex doctrina Aristotelis. Itaque quot sunt diuersi motus planetarum, qui ad summum quinquaginta quinque notabantur tempore Aristotelis, tot etiam sint intelligentiæ ac spiritus: quibus interim Plato ipse totum mundum impleuit singulos singulis elementis prouinciis, ciuitatibus, imo & hominibus, genios aut dæmonas, spiritusve attribuens, vel custodes, vel insidiatores, bonos vel malos. Verum accuratior doctrina de spiritibus, Deo nempe Angelis, & de-

monibus à Theologis Christianis est repetenda, qui Angelos distinguunt, ex doctrina D. Dionysij in tres hierarchias, quarum vnamquamque diuidunt in tres choros, siue ordines, itavt prima hierarchia distributa sic in Seraphinos, Cherubinos & thronos: secunda in dominationes, virtutes, & po-

testates: tertia in principatus, archangelos, & angelos. Sed hæc doctrina excedit philosophiam, estque plusquam Metaphysica, planèque Diuina & Christiana, quam venerari & credere, & mirari oportet, non discutere.



PARS QUINTA

BREVIARIUM PHILOSOPHICI,

DE ETHICA, SIVE MORALI PHILOSOPHIA.

CAPITVLVM PROOEMIALE.



Ocratis illius ἀνδρῶν ἀπαύλων σφωτάλου exemplo, qui Philosophiam è cælo in familias, vrbesque deuocauit, atque vt cecinit Sidorius.

è Natura pondere migrans

*Ad mores hominum formandos transfudit
vsum.*

Transimus tandem è Physica & Metaphysica, id est è scientia rerum naturalium, & diuinarum, in Ethicam, siue scientiam de moribus, vt inspectâ in scientiis contemplantibus, quasi in nitidiore speculo, ipsa specie nudæ veritatis, oculos animumque deinceps intendamus, ac conuertamus in virtutem, quæ est alterum Philosophiæ Numen; & cuius exercitio, ac cultu diligentiore felices fiamus & vndequaque beati.

Vt enim contemplatricis Philosophiæ finis est veritas; sic practicæ, quæ Ethica est, virtus, eiusque actio. Erimuerò Philosophia practica siue moralis nihil ferè aliud, quam præcepta tradit de virtute, ad humanam beatitudinem conducentia, quæ quidem beatitudo in actu virtutis consistit, & vita vndequaque perfecta. Hoc autem cū fieri nequeat, nisi humanæ actiones, quæ à libera hominis voluntate proficiscuntur, rectè instituantur, & ad veram fœlicitatem dirigantur, summūve bonum; idcirco hæc Philosophia in eo tota occupatur, vt actiones humanas, tanquam obiectum confide-

rando, eas dirigat ad beatitudinem, quæ est huius Philosophiæ finis; vnde cum actiones humanæ, siue bonæ, siue malæ, appellantur mores; etiam Philosophia hæc ἠθικὴ Græcis dicta est ἀπὸ τῶν ἠθῶν, moralis Latinis, à moribus quos informat & instruit ad felicitatem.

Ethica ergo definitur scientia practica, dirigens actiones humanas, siue mores ad beatitudinem.

Iam verò humanæ actiones, quas Græci *πραξις* vocant, exerceri possunt in triplici vitæ statu.

Primus est monasticus, siue solitarius, vnde existit Ethica Monastica; quæ vnus hominis mores dirigit, quatenus scilicet sibi soli viuunt, extra societatem, quasi Eremita, Anachoreta, aut Solitarius.

Secundus domesticus & familiaris, vnde Ethica œconomica; ἀπὸ τῆς νόμου καὶ οἴκου dicta; quæ rationem docet bene viuendi in familia siue domo, cum vxore, liberis & seruis, itavt legem faciat domus ritè gubernandæ.

Tertius Politicus siue ciuilis aut reipublicæ, vnde existit Ethica Politica, quæ rationem explicat bene viuendi in ciuitate seu republica, aut statu ciuili quolibet.

Ferè autem miscetur; traditurque Monastica simul cum Ethica generaliter dicta, quæ de honesta actione generatim præcipit, quam ipsa requirit Monastica, vt & aliæ partes Philosophiæ Moralis.

PARTICULA PRIMA,

De Ethica Monastica.

Quæ documenta in Ethica generali siue communi doctrina de moribus, quæ Monastica, Oeconomica, & Politica possunt accommodari, de virtute, & felicitate, ea assumuntur à Monastica, ad dirigendos mores singulorum hominum. Quæ causa fortè est cur hætenus distincta non fuerit Ethica generalis à Monastica, sed vtraque simul mixta & tradita fuerit, atque promulgata.

Ethica igitur agit de actione humana, eiusque principiis, causis, speciebus & proprietatibus, quatenus per ipsam felicitas obtinetur.

De Humana actione.

ARTICVLVS I.

Quæ proprium sit hominis munus, ut homo est agere ex mente, consilio, & libertate. Actio humana ideo definitur operatio voluntatis humanæ, cuius principium est electio; vel quæ liberè fit & nobis volentibus ac scientibus.

Ad humanam scilicet actionem requiritur posse, scire, & velle ex plena integraque libertate.

Humana actio, alia est elicitæ, quæ fit immediatè à voluntate, & in ea manet, ut est volitio, siue actus volendi, actus amoris, odij: alia imperata, quæ fit quidem ab alia facultate, & organo quodam corporis; sed imperatur à voluntate, ut est locutio honesta, vel turpis.

Bona autem dicitur actio, quæ fit ex recta ratione circa obiectum conueniens: ut dare eleemosinam egeno: Mala quæ à recta ratione dissentit, ut parricidium, adulteriũ, furtum.

Neutra siue indifferens, quæ per se nec bona est, nec mala: ut mulcere barbam, fricare manus, nullo proposito fine, de qua tamen actione meritò dubitatur, siue propriè humana, quia non fit ex consilio, siue destinato.

Principia & causæ actionis humanæ, efficientes quidem sunt, libera voluntas, intellectus practicus, virtutes & vitia; finis & obiectum idem in moralibus, estque vel bonum verum, ut virtus; vel apparens, ut scæ-

da voluptas, eleemosyna ex vana gloria.

Forma & species est cuiusque actionis propria ratio, siue ordo ad rectam rationem & obiectum.

Materia in qua siue subiectum actionis humanæ est ipsa voluntas siue facultas, in qua fit actio, & in eadem residet. Humanæ actionis proprietates sunt bonitas, malitia, honestas, turpitudine, excessus, defectus, mediocritas, voluptas, tristitia,

Sed actio saltem perfectè bona manat proditque à virtute, mala autem à vitio, illam regit prudentia, hoc imprudentia; error, affectusque immoderatus.

De virtute & vitio.

ARTIC. II.

Virtus est habitus disponens ad bene operandum, siue dispositio perfecti ad optimum, id est, rectæ facultatis ad actionem officiumque suum præclare perficiendum. Virtus, alia est mentis, quæ dicitur *διανοητική*, estque quintuplex, scientia; sapientia, ars, intelligentia, & prudentia, de quibus supra: alia *ἠθική*, siue moralis, quæ ad hunc locum pertinet.

Virtus moralis definitur habitus electiuus, in mediocritate consistens, eâ, quæ est ad nos, prout vir prudens definierit. Etenim consistit virtus in mediocritate, non Arithmetica & rei, sed Geometrica & rationis, quæ nimirum recta ratio constituit, inter excessum & defectum, plus & minus, alioqui existit vitium.

Vitium enim est excessus, vel defectus à recta ratione, vel habitus electiuus à mediocritate deflectens, & prudentiæ expers.

Virtus Ethica, alia est præcipua, siue cardinalis, estque quadruplex, nimirum.

Prudentia, quæ licet Dianoëtica sit, ratione subiecti, quia residet in mente; magis tamen propriè est Ethica, nempe ratione obiecti & officij: quia mores dirigit, estque regula aliarum virtutum, lex vitæ humanæ; & omnium humanarum actionum dux, lux & magistra, verèque *ὁρθὸς λόγος*.

Iustitia, quæ ius suum cuique reddit, iuris autem præcepta sunt, honeste viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. ex Tit. instit.

Fortitudo, quæ est mediocritas circa timores

mores & audacias, consistitque in fortiter agendo simul & patiēdo cum generositate quadam, animique magnitudine.

Temperantia, quæ moderatur ac regit voluptates ac dolores tactus & gustus: & pars quidem temperantiæ tactum regens dicitur castitas; pars autem gustum gubernans, dicitur sobrietas. Ideo temperantia rebus venere is modū adhibet, itēque esculentis & potulentis:

Alia gregaria & minū præcipua, minūque ad vitam morālē & popularem necessaria, vt modestia, liberalitas, affabilitas, vrbānitas, sine quibus absolutē, loquendo, honestē satis viuere fas est.

De Beatitudine.

ARTIC. III.

OMnia bonum appetunt, vel appetitu naturali, vt res inanimatæ: vel sensitiuo, vt animantes: vel rationali & intellectiuo, vt homines: qui eo ardentius bonum suum appetunt, quod est præstantius, magisque consentaneum. Propterea homines summum suum bonum, quod est ipsa beatitudo, summo appetitu prosequuntur.

Est si quidem beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus: vt dixit Boëtius.

Bona autem, alia sunt animi, vt virtutes: alia corporis, vt sanitas: alia fortunæ, vt opes. Itaque horum omnium bonorum cumulus est foelicitas, *εὐδαιμονία*.

Quanquam vera ratio & essentia beatitudinis in virtute consistit, seu potius in *εὐπραγία*, actione virtutis, quæ scilicet sit summum animi bonum, & perfectio partis præstantissimæ, vnde cætera bona censentur, vel adiumenta, vel ornamenta. Ideo rectē Aristoteles cap. 6. lib. 1. Ethicorū. Beatitudo inquit, est actus animi virtute vtentis in vitā vnde quaque perfecta: id est cui nihil desit cæterorum bonorum, *ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετῆν, ἐν βίῳ τελείῳ*.

Beatitudo duplex. Vna theoretica, quæ est ab habitu sapientiæ, consistitque in contemplatione iucunda rerum diuinarum & altissimarum. Altera practica quæ est functio siue exercitium virtutis morālis, prudentiæ, iustitiæ & cæterarum, cum bonis fortunæ & corporis, sine quibus commodē nemo viuere potest in republica, cæterisque hominum.

PARTICVLA SECVNDÆ,

De Oeconomica.

Oeconomica quasi νόμος τῆ οἴκου, lex familiæ siue domus, definitur scientia morālis prudenter regendæ domus, seu familiæ.

Domus autem siue familia est hominum paucorum societas, in qua alius imperat, alius obtemperat, in commune bonum domesticorum, siue totius familiæ.

Societas domestica siue familiaris triplex statuitur.

Prima dicitur *δουλοπικη* siue herilis, domini & serui. Seruus verò vel est naturalis, corpore scilicet robustiori, sed mente parum cauta aut prudenti: vnde existit seruitus naturalis: vel talis est lege, vi, & bello, vnde existit seruitus bellica & violenta, naturæ ac libertati repugnans, planēque coacta: vel talis est conditione ciuili, ex pacto & contractu voluntario, vnde seruitus ciuilis & voluntaria, propter alimentum, stipendia & pecunias, cuius seruitutis vsus est plurimus inter homines.

Secunda *γαμικη* siue coniugalis, inter virum & vxorem, est enim de lege naturæ, vt vir imperet vxori, mas foemina. Atque huius societatis vsus ac finis est procreatio educatio probaque institutio liberorum ex iure diuino, & naturali & ciuili.

Tertia *πατρικη* siue paterna, inter patrem & liberos; cuius societatis finis est mutuuum auxilium, vt & aliarum, sed maximē ipsa liberorum honesta institutio ad virtutem, veramque beatitudinem.

Cum autem viuere non liceat siue diuitiis & possessionibus, ideo necessaria est œconomica atque *κτητικη* siue possessionum, & rei quærendæ, quæ dicitur *χρηματικη*, id est quæstuaria. Quæ est vel naturalis vt agricultura, pecuaria, aucupium, venatio, piscatus; vel artificiosa vt mercatura, fœneratio, siue vsura, & operarum locationes, de quibus alibi. Est tamen notatu dignum Aristotelis documentum de vsura rei, cicienda quasi peccato contra naturam, quia vsura ex nummo nummum generat contra ipsius nummi naturam qui nihil per se generat, licet alioqui ipsa vsura & fœnus dicatur τόκος: quasi aliquid generaret.

PARTICVLA TERTIÆ,

De Politica.

VT monastica singulos homines, œconomica domos siue familias: sic rem-

publicā, ciuitates, & imperia regit Politica, eaque ad beatam vitam perducit, quæ quidem beata vita in publica honestate, pace, copiâque bonorum omnium reposita est.

Nomen nimirū habet Politica ἀπὸ τῆς πόλεως quod est ciuitas, quasi sit Philosophia ciuilis, vel ciuitatum regendarum.

Politica ergo scientia est omnium moralium disciplinarum princeps, & ciuitatum ac imperiorum optima gubernatrix, circa bonum publicum perpetuò occupat; si modo iusta est & recta.

Ciuitas autem est ciuium vnitas, cuius ordo siue directio, græcè πολιτεία, latinè Respublica dicitur, atque vt loquitur Aristoteles, τὰξίς τῆς πόλεως.

Constat ciuitas è vicis, vt vici è domibus.

Præclara definitio ciuitatis est hæc, Ciuitas est hominum præstantissima societas, pluribus vicis constans, cum sufficiente copia bonorum, ἀνταρκείαι Græci dicunt, ad bene beateque viuendum.

Conuenerunt siquidem naturæ quodā instinctu homines vt se mutuis auxiliis adiuuarent. Omnes enim natura duce ea quærunt, quæ sibi sunt commoda. Hinc homo natura sua animal est politicum, id est societatis amans. Itavt si quis ciuitates hominūque cœtus fugiat vel Deus sit, vel fera, ἢ Θεὸς ἢ θῆρσον inquit Aristoteles primo Politicorum.

Ciuis autem dicitur is, qui ita viuunt in ciuitate, vt sit particeps imperiorum, iudiciorum, & magistratuum, ac officiorum & honorum Respublicæ.

Iam verò Respublica omnis imperio cōstat & subsistit, quod aliud nihil est, quàm imperantium ordo & obtemperantium: qui ordo si ad vtilitatem publicam prudenter referatur, rectum ac legitimum constituet imperium: alioqui vitiosum; vt enim Sol, planetæ, stellæque omnes in summâ mundi parte, quæ cœlum est, Domini Dei iussu sunt collocatæ, vt motu suo, lumine ac influxu benefico, & salutaribus radiis elementarem mundum, corporaque inferiora, stirpes & animalia gubernent: itavt non tam sui gratia, quàm incommoda rerum inferiorum moueantur & luceant: sic & qui statuente Deo, inter homines summam rerum tenent, Imperatores, Reges, Principes, Magistratus; ita se in imperando ac iure dicendo regere debent, vt in publicam subditorum vtilitatem, ordinūque omnium Politicorum, ac populi salutem & commoda, prælucente, semper ac præeunte iustitia sapientiâque, quæ comitem habet pietatē, veramque religionem, perpetuò dominentur. Alioqui ordo omnis, iuraque diuina & humana, & leges boni regiminis funditū corruent, ac destruentur, fientque facillè magna imperia, magna latrocinia, magna

homicidia, magna sacrilegia, pessimæque Tyrannides.

Communis itaque omnium, tam obtèperantium, quàm imperantium vtilitas, lex est, & mensura recti regiminis, ac legitimi imperij. Propterea rectum imperium omnino triplex est.

Etenim si vnus imperat in publicam vtilitatem, inde Regnum existet, siue βασιλεία, quod vocabulum est accommodatius significando regno, quàm Monarchiæ, quæ est simpliciter vnus principis (siue is bonus iustusque sit, siue malus) dominatio, vnde etiam Tyrannus Monarcha dicitur, quòd solus imperet: si optimates, id est, viri prudentissimi, ac optimi eodem fine, erit ἀριστοκρατία.

Si populus, in publicum commodum, fiet πολιτεία specialiter dicta, vel communi nomine Respublica, Vt verò iustum rectūque imperium triplex est; sic & vitiosum etiam triplex iuxta legem topicam. Tot modis dicitur vnum contrariorum, quot alterum.

Etenim si vnus imperet ad propriam tantum vtilitatem, atque ad libidinem subditos enecet, opprimat populum, legesque diuinas & humanas violet, inde erit Tyrannus, naturæ humanæ opprobrium, crux, pestis, & carnificina sæuissima.

Si pauci, iique ditiores & potentiores, ita dominantur, vt omnia ad se rapiant, cum aliorum pernicio ac detrimento, inde exurget ὀλιγαρχία, paucorum dominatus.

Si denique omnes promiscuè etiam egei & plebei, teneant dominatum, itavt omnia ad suam conuertant vtilitatem, inde orietur δημοκρατία populi dominatio, pessimum gubernandi genus.

Est autem profectò, regnum bonorum regiminum optimum ac præstantissimum, siue illud sit ἀριστον, & electione constitutum, vulgò electiuum; vt regnum Poloniæ; siue κατὰ γένος, ex iure natalium & successionis, vulgò hæreditarium, vt regnum Galliæ, & Hispaniæ. Nempe quia maior est concordia, vnio, consensus, & ordo in monarchico regimine siue regno, quàm in Republicâ, & Aristocratiâ, vbi multi dominantur. Licet enim Aristocratiâ, sit ἀριστῶν κρατία, optimorum imperium, multitudo tamen confusionem parit, & vbi est æqualitas imperantium, facillè dissensiones, & schismata exoriuntur ciuitatibus perniciosissima. Quamquam suæ etiam sunt pro Aristocratiâ, regno anteponenda, rationes; cum inter viros optimates, qui sapientia & virtute excellunt, publicamque semper procurant vtilitatem, vix ac ne vix quidem contentio, pugna, controuersiaque oboritur, quippe qui omnes, quia optimi sunt ex hypothesi dent, manus virtuti, veritati ac

Iustitia. Sed quia ἀπλῶς in regno relucet ordo longè pulchrior, vnióque maior, & pluralitas dominantium, vt & Deorum, nullitas est dominantium: vnus optimus & sapientissimus regere potest commodius, quam plures, frustra que fit per plura, quod æquè bene fieri potest per pauciora; & facilius est vnum optimum reperire quam multos, rari quippe boni vix sūt numero totidem quot Thebarum portæ, vel diuitis ostianili, & bonorum Imperatorum nomina, adeo sunt pauca, vt omnia vnus annuli palâ includi ac insculpi possint, vt ipse Augustus Imperator dicitabat.

Item & maximè, quia perfectissimum est illud politicum regimen quòd ordinem & politiam ipsius naturæ imitatur, Deique optimi maximi in mūdi, rerumque omnium gubernatione, sapientiam ac regendi modum qui monarchicus est, propius accedit: fit autem Monarchia, siue regnum eiusmodi, quod nimirum Regem vnicum agnoscit vt mundus Deum vnum; vt natura solem vnum tanquam Principem ac Regem inter planetas ostentat; inter animalia quadrupeda, Leonem; inter aues, Aquilam; Delphinum coronatum, inter pisces; inter apes grandiozem & pulchriorem, & alibi rerum regiam explicat, profertque quantum potest dignitatè; ac præterea regalis monarchia omnium politicarum administrationū est antiquissima, atque inter varias gentes ac populos vsitatissima, propterea bonorum regiminum optimum erit regnum, quòd eò erit præstantius, sanctius & diuinius, quòd erit religiosius, & virtutum Christianatum

atque moralium radiis illustrius. Sunt enim regnorum, vt suo emblemate significauit Carolus nonus Rex Galliarum, columnæ duæ, Pietas scilicet, quæ Dominum Deū ex vera religione & fide orthodoxa (quæ Catholica est Apostolica & Romana) colit; amat, adorat; & Iustitia, quæ homines sapienter regit, ius suum cuique tribuit, bonis præmia decernit, malis infligit supplicia, omnes denique optimarum legum, quibusdam veluti frænis & rectæ rationis suauissimo iugo continet, ac prudentissimè gubernat; Atque his quidem columnis duabus, cum non modò regnum Galliarum suæ & Nauarræ sed & vitam morèsq; suos religiosissimè fulciat, firmetque sine fuce, sine fallaciis politicis, sine Machiauellisticis fraudibus, sine dolis, sine imposturis Ludouicus ille noster verè pius, verè Catholicus, verè Iustus, Regumque qui floruerunt vnquam, optimus ac Christianissimus, adeoque Ecclesiæ filius primogenitus, etiam κατ' ἐξοχήν cognominatus, & propterea, vt & eius charissimæ tamdiuque expectatæ, & expectatæ Regiæ soboli, propediem Deo bene iuuantem, nascituræ, vitæ & Imperij beatissimam optamus perpetuitatem.

Sed hæc de Politica, & de parte quinta Breuiarj philosophici; atque adeo de toto Breuiario philosophico dicta, pro compendioli Isagogici ratione, ad Synopsis catholicam Doctrinæ Peripateticæ, & de noua Appendice ad Apparatum, sufficiant, Recta nunc docendi ratio postulat, vt ipsam Synopsis aggrediamur.

FINIS.

SYNOPSIS CATHOLICA
DOCTRINÆ
PERIPATETICÆ.



*Loriferis vt apes in saltibus
omnia libant,*

*Omnia nos itidem depascimur
aurea dicta.*

Aurea dicta quidem, sed verius dixerim diuina oracula, sapientissimi mortalium Aristotelis; quæ sedulo ac curiosè delibata, & ad hoc vnum Catholicæ, id est, vniuersalis Synopses quasi mellificium breuiter redacta in lucem publicam inuocato prius æternæ illius Sapientiae, id est, Iesu Christi, sacro nomine & gratia, sine qua nemini ad sapientiam aut veritatem aditus patet, vltro damus, om-

Tom. I.

niūmque oculis quantulacumque sit, subiicimus.

Cum igitur eo ordine disposita videatur Aristotelis Philosophia, vt scientiam rerum naturalium, (quæ Physica vulgo nominatur,) morales etiam disciplinas, & Theologiam siue Metaphysicam, aliòsque omnes Philosophicos tractatus antecedant libri Dialectici, qui scilicet ad differendi artem pertinent, & vno organi nomine in scholis significantur; recta ratio postulat, vt qui Aristotelis & scholarum, atque huius maximè editionis omnium emendatissimæ ordinem sequi instituumus, ab ipso Dialecticæ organo, nostræ

G ij

Synopses exordium reperamus. Vnde cum in serie librorum Logicorum, Isagoge Porphyrij prima occurrat, ab ea profectò initium ducere oportebit. non quasi sit Aristotelis opus, sed quia ad Aristotelis Categorias, totamque differendi artem, atque adeo ad omnes Philosophiæ partes maximè conferat, ut ipse Porphyrius prima illius periodo præfatur. Sic autem Catholicam hanc Synopsin disponemus, ut pro ratione & ordine operum omnium Aristotelis, aliam Synopsin in libros Organi, siue Dialecticos, aliam in Physicos, aliam in Ethicos, aliam in Oeconomicos, aliam in Politicos, aliam in Metaphysicos, aliam in alios simus exhibaturi. Ita ut nullus planè, Deo dante, liber vel minimus sit, quem suo saltem argumento; imò, ut res feret, commentariolo non illustremus; ea nimirum summam quidem, sed dilucidè & stylo familiari ac scholastico exposituri, quæ ab Aristotele ex professo definiuntur, & omnino ad Peripateticæ doctrinæ integritatem pertinent. Quo tamen in negotio sic versabimur, ut in omnibus fere diligentes, sed in grauioribus diligentiores, & in grauissimis, difficillimis, ac præstantissimis, quantum compendiosæ Synopses ratio, breuitas, modulûsque pati poterit, futuri simus diligentissimi. Interim noli quæso, Lector beneuole, ex vngue leonem id est, ex quadam huius Synopses particula, de tota iudicare. Integram lege, ut integrè iudices. Sed relege, rumina, recoque; & quod gladiatoribus olim solebat imperari, *Repete*. Solidior est quippe & firmior hic cibus, quem non nisi temporis mora, longaque & crebra meditatione robustior etiam animus digerat. Ordiamur ergo bonis auibus: & Logica Philosophiæ Peripateticæ instrumenta imprimis, & ante omnia duce & auspice Christo Domino,

Pindarus. Ἐ θεοῦ δειξάντος ἀρχῆν, è Dialectices organo tanquam ex armamentario & arce munitionissima depromamus.

*Synopsis Organi, siue Librorum
Logicorum Aristotelis.*

VT domû prius purgare oportet, quam lauta suppellectile & imaginibus exornetur: sic in Philosophiæ studiis hic ordo tenendus est; ut Mens, quæ Scientiarum, Sapientiæ & virtutis sedes est & quasi domus, sordibus suis, id est, erroribus, quibus obnoxia est, primò repurgetur, deinde verò artibus, scientiis, ac virtutibus, quasi pretiosa suppellectile, & pulcherrimis ornamentis decoretur. Atqui purgatur Mens commodissimè; & ab omni erroris periculo liberatur; cum certis instituitur præceptionibus &

regulis ad veritatis cognitionem; siue quod idem est, dum Artem callere bene differendi. hæc quippe ars methodum sciendi explicat, & cognoscendæ veritatis formulas omnes tradit, quæ rite definiendi, diuidendi, argumentandi, disponendi, docendi, & discendi legibus continentur. Est ergo Ars siue Scientia bene differendi ante alias omnes Philosophiæ partes accersenda: Sine cuius auspiciis nihil certò sciri rectèque intelligi possit. Hinc enim Ars artium, Scientia scientiarum dicta est: non quasi sit scientiarum princeps, & præstantissima, (Hic enim titulus vni Theologiæ, id est, Metaphysicæ, debetur,) sed quòd ad omnes sit necessaria, ideo accommodatiùs dicitur organum organorum, instrumentum instrumentorum, ancilla, clavis, ianua, sepes, testa, murus Philosophiæ, docendi verò discendique Magistra, veri falsique disceptatrix & iudex; arbitra etiam Methodorum, definitionum, diuisionum, syllogismorum, Pegasi vngula, Silenus Alcibiadis, plus habens in recessu, quam in fronte, lima ingeniorum, eos veritatis, Ars disputandi, Scientia rationis oratione conclusæ, denique Rationalis, siue Logica, dissertatrix siue Dialectica. Enimvero Dialectica tota est in mente siue ratione, tota ἐν τῷ ἀφ' ἑαυτοῦ, in differendo occupata: Cum differere nihil sit aliud, quam id quod obscurius est & incognitum, ex iis quæ clariora & notiora sunt, appositè, subtiliter, & sine erroris periculo manifestare: quod certè aliter fieri nequit, quam rectè definiendo, diuidendo, argumentando, disponendo. Ita ut bene differere idem sit ac bene definire, diuidere, argumentari, ordinare. Vnde cum definitur Dialectica, *Scientia bene differendi*, idem est ac si diceretur, Scientia bene definiendi, diuidendi, argumentandi & disponendi. Hanc ergo bene differendi artem tradit ex professo Aristoteles, absoluitque libro Categoriarum, vno; de interpretatione, vno; priorum Analyticorum, duobus; posteriorum siue de demonstratione, duobus; Topicorum, octo; Elenchorum, vno; iuxta nouissimæ huius editionis in quam commentamur, ordinem ac distinctionem: quamquam & aliis in libris, Canones Dialecticos tradit idem Aristoteles, ut in Physica, & Metaphysicis, maximè verò lib. 7. & 8. Metaph. Sed ex occasione tantum id præstat, & è re nata. Cum igitur libris illis Logicæ Aristotelicæ, præmitti soleat atque etiam diligenter in Scholis explicari, Libellus quidam à Porphyrio editus, quem εἰσαγωγὴν Græci, *Introductionem* Latini vocant, ideo Logicam nostram Synopsin ab illa Porphyrij Isagoge inchoandam decreuimus, non tam auctoris nomine, (qui

natione Iudæus, & Tyro oriundus, vnde laudatissima purpura, Malchus primùm, id est, linguâ patriâ Rex, deinde Porphyrius à vestis purpureæ vsu cognominatus, religione à principio Christianus, postea verò impius perfidusque transfuga, *ἡμεροπόλις*, *desertor*, hostisque nominis Christiani acerimus, professione Philosophus, sectâ Platonius, Plotini scilicet insignis Platonici discipulus, condiscipulus magni Origenis, præceptor Iamblici, & Chrysaorij Romani patritij, & adolescentis nobilissimi, hanc suam Isagogen scripsit ad Chrysaorium,) quàm nomine & gratiâ Aristotelis, ad cuius intelligendas Categorias scripta est, vt & ad artem totam definiendi, diuidendi, & demonstrandi. Hinc enim nomen habuit *εἰσαγωγὴ*, *ἡ τῶν ἐισαγωγῶν*, quod est, *introducere*, quia scilicet facillè, & quasi manu Philosophiæ tyrones deducat, & intromittat in Categorias totamque Logicam Aristotelis. Nempe vt illi hoc veluti scirpo seu leuiore iunco nixi, Oceanum Scientiarum securiùs traiciant. Sic enim pueris cum nâre discunt, inquit Plautus, scirpea inducitur ratis: facilius vt nent, & moueant manus. Ecce igitur summam Porphyrianae Isagoges.

Isagoge Porphyrij.

CONSTAT capitibus octodecim, in tres partes redactis. Prima est Præfatio: Secunda est ipsa tractatio de quinque vocibus; (in quibusdam enim Codicibus hæc inscriptio legitur, *ἡ ἐν πέντε φωνῶν*) siue prædicabilibus, siue vniuersalibus, vt sunt prædicabilia. Vniuersale enim vt prædicabile, obiectum est huius Isagoges. Definitur vniuersale vox communis multis: vel aptius ex cap. 7. libri de Interpretatione, & lib. 7. Metaph. Vnum quid aptum inesse multis, & de iis prædicari: addo vniuocè ac diuisim, id est, vno sensu, modo, nomine, ratione; & ita vt inferiora de quibus dicitur, sint à se inuicem particularibus naturis diuisa; vniantur autem & conueniant in natura communi & vniuersali: sic Animal est vniuersale, quia est vna natura, sensus compos, apta inesse multis, putà brutis & hominibus: de iis prædicari; homo enim est animal, brutum est animal; idque *συνωνύμιος*, id est, *vniuocè*: quia eadem ratione conuenit natura animalis bruto & homini. Denique dicitur diuisim, quia natura animalis diuiditur, & multiplicatur ad diuisionem suorum inferiorum, nempe brutorum & hominum. Tertia pars; est comparatio prædicabilium inter se.

Ad Caput primum.

PRÆFATUR necessitatem suæ Isagoges ad Aristotelis Categorias, totamque differendi artem. Cum enim Categoriarum sint coordinationes generum, specierum, indiuiduorum, sub vno communi & summo genere: Itémque ars differendi definitionum formulas tradat, quæ constant generibus & differentiis; vel interdum proprietatibus; interdum accidentibus coacervatis; item leges diuisionum, quarum præcipua est generis in species, per differentias: denique regulas demonstrationum, quarum subiectum est species; attributum, proprietas medium, definitio: profectò hæc intelligi non poterunt, nisi prius intelligatur, quid sit genus, quid differentia, species, proprium, accidens: quæ sunt quinque vniuersalia, de quibus hinc clarè ac prætermittis obscurioribus quæstionibus agit Porphyrius, & congruenter doctrinæ Peripateticorum, licet alioqui Platonius esset, vt supra notauimus.

Ad Caput secundum.

GENUS primò dicitur gens, familia, vel multitudo hominum ab vno capite orta, Vt genus Heraclidarum ab Hercule. Secundò principium siue caput multitudinis. Tertio cui subiicitur species. Hac tertia acceptione quæ philosophica est, definitur hinc genus, quod de pluribus & specie differentibus prædicatur in quid, vt animal de homine & bruto. Prædicantur enim alia de vno tantum, vt inuidua: nempe Socrates de Socrate: alia de multis, vt genera, species, differentia, propria, & accidentia. Est autem genus, vt animal; species, vt homo; differentia, vt rationale; proprium, vt risibile, vel aptum ad ridendum; accidens, vt album.

Legitimam esse generis definitionem constat: per eam enim genus differt ab indiuiduo, quod de vno tantum dicitur: à specie, quia hæc dicitur de solo numero differentibus: à proprio, quod dicitur tantum de sua specie: à differentia & accidente, quòd hæc dicantur in quale, genus in quid. Dici autem in quid, est dici essentialiter: In quale, non essentialiter: nisi sic iungas, in quale quid, quod est proprium differentia, quæ dicitur essentialiter instar formæ subiectum determinantis, ac veluti qualificantis. Tria ergo vniuersalia dicuntur essentialiter: Genus quidem, vt pars essentialis respondens materiæ; species, vt tota essentia; differentia, vt pars essentialis nobilior, respondens formæ: duo autem, ac-

accidentariò, id est, non essentialiter: propriù quidem reciprocè, accidens non reciprocè: Hoc enim non conuertitur nec reciprocatù cum subiectò: putà album cum homine: illud verò, vt risibile cum homine, reciprocatur.

Ad Caput tertium.

Ἐν τῷ εἰδῶς.

Adiungitur à nonnullis hoc caput superiori. Fortè quia idem locus est & doctrina relatorum, genus autem & species sunt relata. Satius vtrumque distinguere.

In Phænissis. εἰδῶς τῷ.

Sumitur hic species non pro pulchritudine, quam imperio dignam dixit Euripides, sed pro eo prædicabili quod subiicitur generi, intellige immediatè: vel cui genus attribuitur: vel quod prædicatur de multis numero differentibus in quid. Hæc tertia definitio conuenit soli speciei infimæ, quæ nunquam est genus, & immediatè diuiditur in indiuidua, vt homo. Est enim alia species subalterna, quæ modò est species, respectu scilicet superioris attributi, modò genus, respectu inferioris. vt animal, quod est gentis hominis, species viuentis. Genus autem summum est quod non habet genus supra se, vt substantia. Sunt verò genera summa decem, quæ dicuntur Categoriæ, de quibus postea.

Superiora attributa dicuntur de inferioribus, æqualia de æqualibus, non inferiora de superioribus. Sic animal dicitur de homine, non contra: Æqualia autem & reciproca vt homo & risibile dicuntur de se mutuò. Genera ergo de speciebus & indiuiduis dicuntur, indiuiduum de vno particulari, cuius nempe hæc sint proprietates & accidentia, quæ in alio non liceat reperire.

ἄτομον τῷ.

Ad Caput quartum.

Ἐν τῷ ἄτομον τῷ.

Differentiam diuidit & definit. Alia enim est communis, qua differt etiã idem à se ipso, vt Socrates vir à se puero: alia propria, qua alterum ab altero differt inseparabili accidente, vt nasi adunitas: alia maximè propria, qua res essentialiter & specificè differt ab alia, vt rationale per quod homo differt, specie à bruto. Ac per differentiam quidem quamlibet, rerum varietas aliqua inducitur, sed communes & propriæ differentiæ reddunt subiectum suum alterum, id est, accidente diuersum: quæ autem maximè propria est, subiectum suum reddit aliud, id est, essentia differens,

Differentia autem quæ aliud facit, di-

uidit genus in species, & constituit ipsas species, vt rationale, quod diuidit animal, & hominem constituit. Sunt verò differentiarum generatim aliæ separabiles, vt valere, ægrotare: aliæ inseparabiles, quarum quædam insunt, per se, vt rationale, mortale, quæ hic dicuntur hominis maximè propriæ, vt rationale & immortale Dei, idque iuxta doctrinam Platoniorum; & hæc non intenduntur, nec remittuntur, cum sint indiuisibiles & de essentia rerum. neque enim essentia intenditur, vel remittitur: quædam per accidens, vt esse summum: & hæc intenduntur ac remittuntur: ita vt homo vnus possit esse magis simus quàm alter. ergo differentiarum illarum per se sunt diuisuarum generum, & constitutiuarum specierum, quæ ideo etiam specificæ vocantur.

Differentia est, quæ species superat genus. Per rationale enim & mortale, homo superat animal: id est, plura actu continet, quàm animal: quia animal nihil est actu horum, nempe rationalis & mortalis, sed potestate tantum: actu, inquam, distincto; confuso enim, potest.

τῷ ἄτομον τῷ.

Ἐν τῷ ἄτομον τῷ.

Differentia est, quæ de multis specie differentibus prædicatur in quale quid. Item quæ vim habet distinguendi species sub vno genere contentas: vel etiam, id quo vnumquodque differt: vel denique exquisitiùs, quod pertinet ad essentiam, & quidditatem speciei; ita vt sit eius pars, eaque nobilior.

Ad Caput quintum.

Ἐν τῷ ἄτομον τῷ.

Definit proprium primo modo, quod soli speciei conuenit, sed non omni, vt homini esse medicum. Secundo modo, quod omni non soli, vt homini esse bipedem. Tertio modo, quod soli & omni, sed non semper, vt homini canescere in senectute. Quarto modo, quod, soli omni & semper, vt homini aptum esse ad ridendum. Docet verò proprium quarto modo propriè esse proprium; quia reciprocatur cum specie.

τῷ ἄτομον τῷ.

Ad Caput sextum.

Ἐν τῷ ἄτομον τῷ.

Quod adest, & abest sine corruptione subiecti: Item quod contingit eidem rei inesse & non esse, accidens nominatur. Quod est duplex, separabile, vt dormire: inseparabile, vt, esse nigrum in coruo.

τῷ ἄτομον τῷ.

Ἐν τῷ ἄτομον τῷ.

In reliquis Capitibus.

Comparantur quinque prædicabilia inter se: & declarantur eorum conuenientia & discrimina in textu perspicua, & ex superioribus facilia. In claris enim non immorabimur.

Liber Categoriarum Aristotelis.

Constat Capitibus quindecim ad tres partes redactis. Primam vocant scholæ Antepredicamenta. Secundam, Prædicamenta. Tertiam, Postpredicamenta.

Antepredicamenta sunt ea quæ explicantur ante Categorias, vt Homonyma, Synonyma, Paronyma, diuisiones eorum quæ dicuntur, & quæ sunt; item regulæ tres.

Prædicamenta sunt ipsæ Categoriæ, siue summa rerum genera, suos quæque ordines classésque distinctas habentia. Categoriæ enim est series vel ordo rerum, sub vno summo genere digestarum: vel ipsum genus summum multas inferiores naturas eiusdem ordinis continens; vt est substantia, quæ omnes substantias spirituales & corporeas suo ambitu comprehendit: item quantitas, quæ omnes quantitates. Vocantur autem Categoriæ, quia accusant, id est, manifestant, explicantque essentiam naturalem inferiorum, quæ sub ipsis continentur: κατηγορία enim accusatio est, vox è foro in Lyceum traducta.

Post prædicamenta sunt ea quæ post Categorias explicantur, vt opposita, prius, simul, motus, & modi habendi,

Ad Caput primum.

Homonyma siue æquiuoca dicuntur, quorum nomen est idem, definitio diuersa: vt animal, respectu hominis veri & picti.

Synonyma siue vniuoca, quorum nomen idem & definitio eadem, vt animal, respectu hominis & bouis. Vtrumque enim quatenus animal est, eandem habet definitionem.

Paronyma siue denominata, vel etiam coniugata, quæ ab aliquo denominationem habent, sed differunt casu & terminatione, vt à fortitudine, fortis, fortiter.

Ad Caput secundum.

Quæ dicuntur, vel dicuntur secundum complexionem, vt sunt orationes multis constantes terminis: vel simpliciter & sine complexione, vt homo,

bos, alique termini simplices.

Eorum quæ sunt, alia dicuntur de subiecto, supple, attributionis, sed in nullo subiecto sunt, supple, inhæisionis, vt homo, animal, & substantiæ omnes vniuersales: alia in subiecto quodam sunt, inhæisionis, de subiecto autem nullo, attributionis, dicuntur. In subiecto esse dico, quod cum in aliquo insit, non vt pars, sine eo in quo est, esse non potest, vt quædam Grammatica, quæ est in anima cuiusdam Grammatici: hoc album in hoc corpore. omnis enim color est in corpore. Quædam de subiecto dicuntur, attributionis, & sunt in subiecto, inhæisionis; vt scientia, quæ dicitur de Grammatica, & est in anima. Quædam denique nec in subiecto sunt inhæisionis, nec de subiecto dicuntur attributionis, vt quidam homo & omnia indiuidua substantialia: nam accidentalialia indiuidua sunt in subiecto.

Porro subiectum attributionis, est idomne de quo aliud dicitur in propositione. Subiectum verò inhæisionis, id in quo accidens inest vel inhæret, vt corpus oloris, in quo est candor.

Ad Caput tertium.

Quæ dicuntur de attributis, dicuntur etiam de subiectis, vt quia animal dicitur de homine, quia homo est attributum Petri, ideo animal dicitur etiam de Petro.

Quæ sunt indiuerfis generibus siue Categoriis, ea habent diuersas differentias. Sic animal differentias habet diuersas à differentiis scientiæ; puta terrenum & volucere, quæ non possunt esse differentiæ ipsius scientiæ.

Genera tamen subalterna, quorū vnū sub altero continetur in eadem Categoriæ, habent easdem differentias, intellige cōstituentes. Sic animalis & bruti est eadem differentia constituens, nempe sensitium.

Ad Caput quartum.

Simplicium, id est, eorum quæ sine coniunctione dicuntur, vnūquodque aut substantiā significat, vt homo: aut quantum, vt tricubitale: aut quale, vt album: aut ad aliquid, vt duplū; aut vbi, vt in foro: aut quando, vt heri: aut sitū esse, vt iacere: aut habere, vt esse calceatū: aut facere, vt vrere: aut pati, vt vri. Et hæ sunt Categoriæ decē, quæ per se & seorsim non significant verum aut falsum; quia sunt simplices termini: si tamen coniunguntur in propositionibus: hoc modo, homo est albus, homo non est lapis, facient affirmationes & negationes, veramque vel falsum significabunt.

Ad Caput quintum.

Ἐὶ τῆς οὐσίας.

Dividit substantiam quæ est prima Categoriarum; tum eius proprietates recenset.

Substantia, inquit, vel est particularis siue prima, vt aliquis homo: vel vniuersalis siue secunda, vt homo.

Tum docet in primis substantiis omnia esse, vel, vt in subiectis inhætionis, vt accidentia, vel, vt in subiectis attributionis, vt sunt secundæ substantiæ, quæ de primis prædicantur. Hinc primas esse nobiliores, quia sunt fundamenta secundarum, itémque accidentium. Sublatis enim primis substantiis, tolluntur omnia.

Prima proprietas substantiæ est, non esse in subiecto, supple, inhætionis. 2. Dicitur synonymè, id est, vno sensu & modo. 3. Primas substantias significare hoc aliquid, id est, singulare determinatum; secundas verò, qualequid, nempe vniuersalitatem. 4. Non habere contrarium: non enim ignis contrarius est aquæ ratione substantiæ, sed qualitatis, nempe caloris. 5. Non suscipere intensiorem & remissionem, id est, vnam substantiam non esse magis substantiam, quàm sit altera: quod intellige de primis inter se comparatis. Secundarum enim, eæ magis sunt substantiæ quæ magis accedunt ad primas, & quæ pluribus substantiis attributis. 6. Posse suscipere contraria cum reali munitione sui. Sic lignum frigidum potest calorem suscipere.

Ad Caput sexum.

Ἐὶ ποσῶ.

Dividit quantum siue quantitatem; deinde refert proprietates.

Quantum duplex; discretum, cuius partes sunt diuisæ, vt numerus, oratio: continuum, cuius partes sunt communi termino coniunctæ, vt linea, superficies, locus, tempus: partes enim lineæ iunguntur punctis, superficiæ verò, lineis.

Quantum aliud constat partibus inter se situm habentibus, vt continuum: aliud non habentibus, vt numerus.

Prima proprietas, quanto nihil contrarium esse. Secunda, non intendi, nec remitti. Dicuntur autem intendi ea, quæ paulatim ac per certos gradus ascendunt ad perfectionem; remitti, quæ paulatim deficiunt à perfectione. Sic calor dicitur intendi, cum sit fortior & perfectior: remitti, cum debilior. Tertia, dici æquale vel inæquale.

Ad Caput septimum.

Ἐὶ τῆς ὁμοιότητος.

Dvplex ponitur definitio relatorum. Prior, relata sunt quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur: aut quouis alio modo ad aliud se habent, vt duplum, quod est cuiusdam duplum.

Inferuntur proprietates. 1. Est in relatis esse contrarietatem, vt in vitio & virtute, sed non in omnibus, puta in duplo. 2. Intendi & remitti, vt similia & dissimilia: quædam tamen relata non intenduntur, vt duplum. 3. Dicitur ad conuertentiam, id est, reciprocari, nam seruus est domini seruus, & dominus serui dominus. Monetur obiter in reciprocationibus fingenda esse propria vocabula. 4. Esse simul naturâ, vt duplum & dimidium. Licet quædam relata sic non habeant, vt scibile & scientia, sensibile & sensus: vno enim horum posito, non ponitur alterum necessario.

Posterior definitio & exquisitior, Relata sunt, quorum natura seu esse totum est ad aliquid aliud quodammodo esse affectum.

5. Proprietas est, relata se mutuò manifestare. Si enim quis definitè nouit hoc aliquid esse duplum, statim nouit cuius sit duplum. concluditur in relatis rectè cognoscendis necessariam esse crebram meditationem.

Ad Caput octauum.

Ἐὶ ποιοτήτων.

Definit diuiditque qualitatem. Definit qualia. Enarrat proprietates. Qualitas est per quam quales quidam nominantur.

Quatuor sunt species Qualitatis, singulæ duobus nominibus expressæ. 1. Habitus & dispositio. sed habitus qualitas est firma & permanens, vt scientia, virtus: Dispositio autem fugax & facile mutabilis, vt morbus, sanitas. 2. Est facultas naturalis & imbecillitas. Sed hæc vis est diminuta & infirmior, vt sanitas valetudinariorum: illa robusta est & valida, vt sanitas pugilum & Athletarum. 3. Est patibilis qualitas & passio, sic differentes, quod illa sensum moueat, vt calor tactum; hæc oriatur ex motu animi, vt rubor ex pudore. 4. Est forma & figura, vt triangularis, quadrata.

Qualia sunt ea quæ à qualitatibus denominantur, vt calidum à calore, candidum à candore.

Prima proprietas, quæ conuenit maximè

tertiæ speciei, est recipere cōtrarium. 2. Intendi & remitti: album enim vnum altero albius est. 3. A qualitate res dici similes & dissimiles. Sic per candorem duo candida sunt similia, vnum candidum, & vnum nigrum, dissimilia.

Ad Caput nonum.

Contrarietas est in Actione & Passione, item magis & minus. De situ, quādo, vbi, habere, nihil hic notatur præter exempla quarto capite exposita. Hæc de prædicamentis.

Ad Caput decimum.
Ἐπὶ τῷ ἀπὸ κλειδῶν.

Docet, oppositorum esse genera quatuor Relata, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, vt duplum dimidij: Cōtraria, quorum alia medium non habent, sed alterutrum in subiecto proprio esse debet, vt sanitas, morbus in animali; par, impar, in numero: alia habent; quorum scilicet alterutrum non est necesse in subiecto inesse, vt album & nigrum in corpore: non enim necessum est omne corpus esse album vel nigrum, cum sint medij quidam colores. Priuantia, quorum vnum est habitus, id est qualitas, siue forma realis; alterum priuatio, id est, negatio formæ in subiecto apto ad formam: priuatiæ enim idem subiectum habent, vt visus & cæcitas oculum.

Denique contradicentia, quorum vnum affirmat, alterum negat, vt sedere, non sedere. Distinguuntur priuantiæ à contrariis, quod inter contraria possit esse alterius cōmutatio. Sic enim frigidum fit calidum, & contra: At vero à priuatione ad habitum non datur regressus, nam cæcus amplius videre non potest naturaliter. In contradicentibus necesse est propositionem vnam veram esse, alteram falsam.

Ad Caput undecimum.

Si contrariorum vnum sit, non est necessum alterum esse: possunt enim omnes bene valere, & tunc sola erit sanitas sine morbo.

Duo contraria non possunt esse simul & semel in eodem numero subiecto.

Subiectum contrariorum idem est specie vel genere. Sic sanitas & morbus animali conueniunt, iustitia & iniustitia homini.

Contraria sunt in eodem genere. Vt album & nigrum sub colore: vel in contrariis, vt iustitia & iniustitia sub virtute & vitio: vel ipsa sunt genera aliquorum, vt virtus & vitium.

Ad Caput duodecimum.

Docet, prius dici quinque modis, tempore, consecutione, quod scilicet non reciprocatur cum altero, secundum existendi consecutionem, vt vnum respectu duorum non enim valet cōsequentia hæc, est vnum, ergo sunt duo; licet valeat hæc, sunt duo, ergo est vnum: ordine, sic Proceumium in oratione, prius est narratione: dignitate, sic Rex primus est in regno suo: Denique vt causa prior est effectu.

Ad Caput decimumtercium.

Simul dicuntur vel tempore, vel natura, vt relata; vel diuisione, vt species & differentia eiusdem generis. Dicuntur autem ea esse simul natura, quæ reciprocantur secundum existendi consequentiam, neque vnum est causa alterius.

Ad Caput decimumquartum.

Facit sex motus species, generationem, corruptionem, accretionem, decretionem, alterationem, & loci mutationem. Tum ait, differre alterationem, quæ est mutatio in qualitate, ab accretione; quia quod alteratur, puta quod fit album, non sit necesse augeri, nec contra: augetur enim quadratum gnomone circumposito, non variatur. Denique motui quietem simpliciter opponi; generationi corruptionem; accretioni decretionem; motui locali quietem in loco; vel potius motum in contrarium locum; vt ascensionem descensum; alterationem, mutationem in contrariam qualitatem.

Ad Caput decimumquintum.

Notat octo habendi modos: Primus est, habere, Vt scientiam. 2. Vt magnitudinem. 3. Vt vestem. 4. Vt in parte, puta anulum in manu. 5. Vt partem, puta manum. 6. Vt in vase, sic Amphora vinum habere dicitur. 7. Vt habere agrum, id est, possidere. 8. Vt mulierem, id est, cohabitare. Hæc de Categoriis & post prædicamentis.

Aristotelis de Interpretatione Liber vnus.

Nosse verum, illudque definiendo, diuidendo, argumentando, rite & cum methodo explicare, Logicæ finis est: quem ipsa non assequitur, nisi prius mentem definiendi, diuidendi, & argumentandi artificem, iustis differendi legibus informet, eiusque functiones dirigat; quas tres agnoscunt Philosophi. 1. Est simplex apprehen-

fio siue intuitus rei, primusque conceptus.
2. Est iudicium, quod fit affirmatione vel negatione. 3. Argumentatio, siue discursus, quo vnum ex alio concluditur.

Primam igitur mentis actionem, quæ est simplicium & indiuisibilium, liber Categoriarum instruit, prima Logicæ pars, quæ est de simplicibus. Tertiam libri Analytici, Topici, & Elenchorum, vbi agitur de argumentatione. Secundam hic *ἔπι ἐπιμνηστικῶν*, liber, qui totus est in propositione siue enuntiatione, quam Græci vocant *ἐπιμνηστικῶν*, interpretationem, quia propositio interpretatur conceptus & sensa mentis; dum iunctis nominibus & verbis affirmando, vel negando explicat rerum iudicia, animique notiones. Sic hæc propositiones, Deus est iustus, ignis non est frigidus, explicant, quod mens iudicet de Deo, per affirmationem, de igne, per negationem.

Hic igitur liber quem alij duplicem faciunt, constat quatuordecim capitibus, quibus enuntiationis principia, partes, nomen scilicet & verbum, species, affirmatio & negatio; ipsa etiam oratio & enunciatio; itemque proprietates enuntiationis, oppositio nempe & æquipollentia pulcherrimo ordine exponuntur.

Ad Caput primum.

POnit egregias hypotheses. 1. est, vocabula esse signa passionum, id est, notionum animi. 2. Vt litteræ non sunt eadem vbique gentium; sic vocabula esse diuersa, atque adeo linguas. 3. Notiones & res ipsas apud omnes populos esse easdem. 4. Vt in mente duplex est intelligendi modus; vnus simplex, qui veri & falsi (iudicati scilicet & enuntiat) est *εἰς*; alter autem veri & falsi indicatiuus: sic in vocabulis, quædam esse simplicia, quæ nec falsum affirmant negantve, vt est, homo, album: quædam complexa siue coniuncta, quibus, est, aut non est, adiicitur: vt homo est.

Lib. 3. de Anima, cap. 6.

Ad Caput secundum.

ἔπι τῶν ὀνομάτων.

Definitur nomen, vox significans ex instituto, (id est, beneplacito, aut arbitrio hominum, non natura, aut per se,) sine tempore, (quia nomen non denotat aliquid fieri in tempore,) cuius nulla pars est significatiua separatim; quatenus est pars scilicet nominis. Nomen infinitum, vt non homo, nil significat: ideo propriè non est nomen, vt neque casus nominum, genitiuus, datiuus.

τὴν ὀνομα.

Ad Caput Tertium.

ἔπι ῥήματι.

Definitur verbum, id quod adsignificat tempus (id est, aliquid in tempore esse, vel fieri) cuius pars nulla significat separatim, estque semper nota eorum quæ de altero dicuntur, siue attributorum. Vt, valet, quod ad significat nunc inesse valetudinem, estque nota significans valetudinem esse in aliquo. Verbum autem hoc, non valet, non est propriè verbum, sed infinitum; quia tam de ente, quàm non ente, dici potest, vt nomen infinitum. Valuit, valebit, casus sunt verbi, non verba.

τὴν ῥήματι.

Ad Caput quartum.

Definitur oratio, vox ex instituto significans, cuius aliqua pars significat separatim, vt dictio, non vt affirmatio, aut negatio. Vt Ludouicus Rex Galliarum.

τὴν λόγον.

Oratio alia est enuntiativa, quæ scilicet verum vel falsum dicit, vt Ludouicus est iustus: alia non, quæ nec verum, nec falsum dicit, vt sunt orationes precatiorum, imperatiuarum. Sola enuntiativa ad Philosophiam pertinet, quæ verum quærit.

Ad Caput quintum.

Enuntiatio alia est vna, alia multiplex: alia simplex, alia composita. Vna (quæ est affirmatio, deinde negatio) dicitur, vel quæ significat vnum duntaxat, vt Sol est lucidus: vel quæ coniunctione est vna, vt Sol est lucidus & calidus. Multiplex sunt multæ enuntiationes multa significantes coniunctione carètes. Vt Sol est lucidus. Deus est iustus. Simplex significat aliquid inesse, aut non inesse pro temporum diuisione. Non fit enuntiatio nisi adhibeatur est, erat, aut erit.

ἔπι ῥήματι.

σὺν.

Ad Caput sextum.

Affirmatio est enuntiatio alicuius de aliquo, vel propositio affirmans, vt Deus est iustus. Negatio est alicuius ab aliquo remotio, vt, ignis non est aqua. Affirmatio & negatio oppositæ, contradictionem faciunt. Oppositio est eiusdem de eodem, non homonymè: nam accipi debent termini in oppositione eodem modo ac sensu.

ἔπι ῥήματι.

σὺν.

Ad Caput septimum.

VT res aliæ sunt vniuersales, aliæ singulares; sic & enuntiationes.

τὸ ἅπαντων.

τὸ ἕκαστου.

Vniuersale est quod suapte natura mul-

τὸ ἅπαντων.

ris attribuitur, vt homo. Singulare, quod non multis sed vni, vt Callias, Socrates.

Enuntiationes aliæ contrariæ sunt, quæ vniuersaliter aiunt, vel negant: aliæ contradicentes, quarum vna vniuersaliter ait, altera particulariter negat.

Enuntiationes contrariæ, contradictoriæ, & singulares, non possunt esse simul veræ. Contradictentium maximè necesse est vnam esse veram, alteram falsam.

In propositione nota vniuersalis, vt omnis, nullus, nunquam debet iungi prædicato. Si nulla nota vniuersalis nec particularis, vt quidam, aliquis, in propositione reponatur, fiet propositio indefinita, vt, homo est albus.

Ad Caput octauum.

Repetit, affirmationem & negationem vnam dici, quæ vnum de vno significat. Tum docet, in contradictoriis, si subiectum vel attributum homonymū est, vtrâque enuntiationem posse esse veram. Quod vulgò dicitur *Homonymia tollit contradictionem*; Sic vtrâque hæc propositio, canis latrat, canis non latrat, vera est; quia canis est homonymum. Sumitur enim in priori propositione pro cane animali, in posteriori, pro astro.

Ad Caput nonum.

Docet, enuntiationes alias esse de præterito, alias de præsentis, alias de futuro. Tum statuit, earum quæ de præterito sunt, vel de præsentis (siue eæ vniuersales sint, siue singulares) vnam partem esse determinatè veram, alteram determinatè falsam. Nempe quia res determinatè fuit, vel est actu: nam ad esse sequitur prædicari; id est, vt res est, ita dici debet, & vice versa si affirmatio vera est, res etiam est: si negatio vera est, res etiam non est. Earum autem quæ sunt singulares de futuro contingenti, vt cras fiet naualis pugna, vel non fiet; statuit vnam quidem esse indeterminatè veram, alteram verò indeterminatè falsam. Ratio est, quia res contingenter futura, adhuc est indeterminata, vt sit, vel non sit: alioqui non posset dici contingens. Vnde sic ratiocinari videtur Aristoteles, Propositio eatenus vera est, vel falsa, quatenus res est, vel non est: atqui res futuræ contingentes, sunt indeterminatæ ad esse, vel non esse; (quod enim est contingens, æquè potest non esse ac esse;) ergo propositio de futuro contingenti erit indeterminatè vera, vel falsa. Alioqui omnia necessariò fierent, nihilque esset à casu aut fortunâ: quod manifestè falsum est, multa enim fortuitò eueniunt.

Ad Caput decimum.

Hoc caput primum est libri secundi, iuxta eos qui hoc opus distinguunt in libros duos: quorundam etiam opinione est septimum. sed parui momenti est capitum distinctio, Hoc igitur capite repetit, enuntiationem constare nomine & verbo, finito vel infinito. Deinde ponit distinctionem enuntiationum de secundo adiacente, vt, homo est; & de tertio, vt, homo est iustus: Item finitarum, vt, homo est; & infinitarum, vt, non homo est. Postea exponit earum oppositiones & consecutiones, siue æquipollentias, affirmatiuam nempe infinitam, inferre negatiuam finitam. Sic, homo est non iustus: ergo homo non est iustus: Item affirmatiuam finitam inferre negatiuam infinitam, sic, homo est iustus, ergo homo non est non iustus. Dux enim negationes æquipollent affirmatiui. Admonet vocabula transposita non mutare sensum. Vt, est albus homo, & homo albus: idem enim significant.

Ad Caput undecimum.

Docet, enuntiationem vnam & simplicem esse, quæ significat vnum de vno: coniunctam verò quæ multa de vno, aut vnum de multis: deinde admonet ex quibuslibet diuisis, non rectè fieri vnicum subiectum, vel prædicatum, vt, est futor, est etiam bonus, ergo est bonus futor: non sequitur; quia à diuisis ad coniuncta non valet semper consequentia: vt neque ex coniunctis ad diuisa. Licet enim hæc consequentia vera sit, Socrates est homo albus, ergo est homo: non tamen in omnibus concludere licet eodem modo: Vt, Homerus est Poëtarum princeps, ergo Homerus est; falsa est consecutio: item, Cadauer est homo mortuus, ergo Cadauer est homo: non sequitur.

Ad Caput duodecimum.

Explicat quatuor modos enuntiationum, Possibile, Contingens, Impossibile, Necessarium, ex quibus constituuntur quatuor modalium propositionum genera. In his docet spectari oppositionem & æquipollentiam; vt in absolutis. Oppositionem verò æstimari ex modi affirmatione & negatione, vt, necesse est, non necesse est.

Ad Caput decimumtertium.

EXponit modalium æquipollências, quas vocat *ἁπλοῦς ἀκολουθήσεις*, id est, consecutiones, statuitque propositiones affirmantes de contingenti, negatiuas de impossibili, & negatiuas de necesse, æquipollere iis quæ sunt affirmantes de possibili. Ponit exempla per quatuor ordines, æquipollentiã & oppositionem demonstrantes. Vbi emendat seriem antiquorum, cum ait primum modum debere esse de necesse, quia necessarium est principium vnde sunt cætera omnia. Hinc quod necessariò est, verè actu est: quod si æterna priora sunt, actus erit potentiã prior: alia enim entia sunt actus sine potentiã ad esse & non esse, supple, vt substantiã primã, id est nobilissimã, nempe Deus & intelligentiã: alia actus cum potentiã, quæ naturã priora sunt potentiis, licet tempore posteriora: alia nunquam sunt actus, sed potentiã, vt numerus, qui potentiã infinitus est secundum additionem.

aph.
9.

Ad Caput decimumquartum.

STatuit contrarietatem enuntiationum esse ex affirmatione & negatione eiusdem attributi de eodem subiecto. Hæc habentur libro de interpretatione.

Analyticorum priorum liber primus.

Resolutio quæ Græcis est *ἀνάλυσις*, definitur rei in suas causas, principia, partesque reductio. Vt cum homo in morte dissoluitur in animam & corpus: vel cum corpus humanum reducitur in quatuor elementa, quibus constat. tunc enim fit resolutio hominis vel corporis, in sua principia & causas.

Quatuor sequentes libri vocantur Analytici siue resolutorij, quia in illis syllogismus resoluitur in partes, principiaque sua, materiam nempe & formam, utpote in terminos, propositiones, figuras, modos, propositiones necessarias, certas, immediatas, siue vno verbo, demonstratiuas: de quibus omnibus copiosè agitur partim libris duobus priorum Analyticorum, partim aliis duobus posteriorum. Sed duo primi vocantur priores Analytici, quia documenta exhibent omnibus syllogismis communia, & in iisdem agitur de communi materia: id est, de terminis & propositionibus generatim: Item de formã syllogisticã, quæ est recta terminorum & propositionum dispositio, continetque figuras & modos bene argumentandi, in

qualibet materia. Duo autem alij qui sunt de demonstratione, vocantur posteriores Analytici, quia demonstratio est species syllogismi, propria quadam materia constans, nempe propositionibus veris, certis, primis, immediatis: at species posterior est suo genere, cum posito genere non ponatur species. Vt ergo de animali prius dicere oportet, quàm de homine: sic de syllogismo prius dicendum est, quàm de demonstratione.

Priores itaque Analytici sunt de syllogismo in vniuersum: posteriores de demonstratione, quam epigraphen antiquam esse, & ab Aristotele his libris impositam, testatur Galenus libro de propriis libris.

Prior igitur liber priorum Analyticorum tres habet partes, siue *τμήματα*, aut sectiones: (diuisio enim per Capita non est Aristotelis, nec Græcorum interpretum, sed Latinorum:) Prima pars est de structura syllogismi: Secunda, de inuentione mediij: Tertia, de reductione siue Analyti syllogismorum in certas figuras, & modos. Facit tamen Boëtius quadraginta duo capita; Firminus, Durius, Perionius & alij quidam triginta octo: Iulius Pacius, quem hæc editio sequitur, quadraginta sex.

Ad Caput primum.

Definit Aristoteles propositionem, orationem affirmatiuam vel negatiuam alicuius de aliquo: tum eam diuidit, in vniuersalem, particularem, & indefinitam: Item in syllogisticam, quæ scilicet componit syllogismum: in demonstratiuam, quæ est sumptio alterius partis contradictionis, eaque vera, certa, necessaria: & in Dialecticam, quæ respectu eius qui querit, est interrogatio contradictionis: vt estne mundus æternus, necne? Respectu autem eius qui ratiocinatur, sumptio partis probabilis.

Deinde definit terminum, in quem resoluitur propositio; vt attributum propositionis, putà animal, & subiectum, putà homo, in hac propositione, homo est animal.

Postea definit syllogismum, orationem in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his quæ posita sunt, necessariò accidit, eo quod hæc sunt quæ definitio docet syllogismum esse argumentationem, duabus antecedentibus propositionibus, maiore scilicet & minore constantem, & vna tertia ex illis necessariò consequente, id est, conclusione, cuius vis veritasque ex duabus præmissis sic dependet, vt si ex ritè dispositæ sint, & concessæ tanquam veræ, necessariò

necessariò sequatur conclusio, in omni materia: quæ concludendi necessitas ex formâ est. Hinc lex Dialecticæ Vulgata, *Concessis duabus præmissis, necessariò sequitur conclusio*, intellige, si syllogismus fuerit in formâ.

Annotat, syllogismum, vel esse perfectum, cum nempe qui nullo alio eget, vt eius vis, claritas, necessitasque fiat perspicua: vel imperfectum, qui alio eget, vt eius robur appareat, nempe conuersione, vel etiam transpositione propositionum.

Dici verò id de omni, quod prædicatur de omnibus inferioribus subiecto comprehensis, vt animal de homine: dici autem de nullo, quod contra se habet, vt lignum de homine.

Ad Caput secundum.

Data definitione & diuisione propositionum, explicat earum conuersiones. Est autem conuersio Græcè ἀπρόσφορη; terminorum transpositio seruata affirmatione, negatione, & veritate propositionis.

Statuit ergo, propositionem vniuersalem negantem, de inesse, siue simplicem & absolutam, conuerti simpliciter, vel conuersione simplici. (conuersio enim alia simplex, in qua seruatur eadem quantitas, & qualitas: alia per accidens, siue in partem, in qua non seruatur eadem quantitas: quæ æstimatur quidem ex vniuersalitate & particularitate, vt qualitas ex affirmatione & negatione, veritate & falsitate propositionis) vt, *Nulla voluptas est bonum: ergo nullum bonum est voluptas: Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo.* Secundò, vniuersalem affirmantem conuerti in partem; vt, *omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo.* Tertiò, particularem affirmantem conuerti simpliciter; vt, *quædam voluptas est bona, ergo quoddam bonum est voluptas.* Quartò, particularem negantem non conuerti, vt constat hoc exemplo, *Aliquod animal non est homo, ergo aliquis homo non est animal: non sequitur.*

Ad Caput tertium.

Docet, modales de necessesse, conuerti vt absolutas. Vniuersales quidem negantes, & particulares affirmantes simpliciter: vniuersales verò affirmantes in parte. Ponit exempla obscura per a, b: pono clariora: *Necessesse est nullum hominem esse lapidem, ergo necessesse est nullum lapi-*

dem esse hominem. *Necessesse est aliquem hominem esse rationalem, ergo necessesse est quoddam rationale esse hominem. Necessesse est omnem hominem esse animal: ergo necessesse est quoddam animal esse hominem.* Non conuerti tamen particularem negatiuam; vt neque in absolutis. Deinde docet propositiones affirmantes de contingenti & possibili; dum æquipollent necessario, conuerti vt propositiones absolutas, & de necessesse: sed non omnes negatiuas de contingenti, conuerti vt absolutas.

Porto etæ modales sunt simpliciter affirmatiuæ, in quibus modus affirmatur de dicto, licet alioqui prædicatum dicti negetur de subiecto dicti. Sic hæc modalis affirmatiua est, *Necessesse est hominem non esse lapidem.* Quia modalis ex modo maximè constituitur ac dependet. Aliud est in conuersione.

Ad Caput quartum.

περὶ πρώτου σχήματος.

Docet esse prius agendum de Syllogismo vniuersim, quàm de demonstratione: quia Syllogismus est quid communius. Tum Syllogismi materiam esse tres terminos; formam verò, esse terminorum certam rectamque dispositionem, quæ pendet ex figura & modo.

Figuras esse tres, modos autem longè plures. Est verò figura mediij termini cum extremis idonea ad bene concludendum dispositio. Medius terminus in prima saltem figura est qui in alio est, & in quo aliud est, vel qui alteri subijcitur, & de altero prædicatur. Extremum duplex; maius, in quo aliud est, seu quod de medio prædicatur: minus, quod in alio est, seu de quo medius dicitur, vel cui attribuitur affirmatiuè vel negatiuè. Modus est dispositio propositionum secundum quantitatem & qualitatem.

Cùm ergo tres termini ita disponuntur, vt vltimus sit in toto medio, medius autem in toto primo sit, aut non sit; docet Aristoteles Syllogismum perfectum esse, id est, necessarium & euidenter: Nempe in *Barbara*, vel *Celarent*. Statuitque hanc dispositionem esse primam figuram omnium perfectissimam. Sed Scholæ clariùs primam figuram definiunt, in qua medius terminus in maiori propositione subijcitur, in minori autem prædicatur.

Primæ figuræ quatuor sunt modi utiles, directi & perfecti. Primus est, qui vocatur *Barbara*, in quo ex præmissis vniuersalibus affirmantibus, colligitur conclusio affirmans vniuersalis. 2. *Celarent*, in quo ex maiori vniuersali negante, & minore vniuersali affirmante, colligitur conclusio vniuersalis negans. 3. *Darij*, in quo ex maiore vniuersali affirmante, & minore particulari affirmante, colligitur conclusio particularis affirmans. 4. *Ferio*, in quo ex maiore vniuersali negante & minore particulari affirmante, colligitur conclusio particularis negans. Hos modos approbat Aristoteles, ponitque eorum exempla per litteras a, b, c. Pono clarioræ. In *Barbara* quidem sic: Omnis virtus est laudabilis, sed omnis iustitia est virtus, ergo omnis iustitia est laudabilis. In *Celarent*: Nullum vitium est honestum, sed omnis impudentia est vitium, ergo nulla impudentia est honesta. In *Darij*: Omnis olor est albus, sed quædam avis est olor; ergo quædam avis est alba. In *Ferio*: Nullum animal est lapis, sed quoddam viuens est animal, ergo quoddam viuens non est lapis.

Reiicit verò modos alios inutiles, docetque prædictos, qui tam clarè directèque concludunt, esse perfectos, & niti principiis *Dici de omni*, vel *Dici de nullo*. De quibus supra. Admonet in primâ figurâ aptè concludi quæstiones omnis generis, vniuersales, particulares, affirmatiuas, & negatiuas, ideòque meritò principem siue primam esse aliarum.

Docet primò secundam figuram esse, in qua modius terminus dicitur de vtroque extremo: vel in qua medium est in vtrâque propositione prædicatum. 2. Esse sexdecim modos, nempe duodecim falsos & illegitimos, quatuor autem utiles ac legitimos; quorum duo vniuersaliter & negatiuè concludunt, vocanturque in Scholis, *Cesare* & *Camestres*: Duo alij particulariter & negatiuè, qui vocantur *Festino* & *Baroco*. Exemplum in *Cesare*, est eiusmodi: Nullus homo est quadrupes, sed omnis asinus est quadrupes, ergo nullus asinus est homo. Fingi facillè possunt exemplorum modorum. 3. Omnes conclusiones secundæ figuræ esse negantes.

Docet, tertiam figuram esse, in qua medium vtrique extremo subiicitur:

vel subiectum est in vtrâque præmissa. Tum enarrat sexdecim modos, nempe decem illegitimos, & sex legitimos, quos Scholæ vocant, *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*. Exemplum in *Darapti*. Omnis coruus est niger, sed omnis coruus est avis, ergo quædam avis est nigra. 3. Statuit conclusiones tertiæ figuræ omnes esse particulares.

Vt verò figuras earumque modos utiles & inutiles, legitimos & illegitimos agnoscas, Lector Philosophæ, & faciliùs discernas, scire te oportet primò, tres prædictas figuras in Scholis solere vulgari hoc disticho designari:

Prima prius subiicit medium; post prædicat ipsum.

Alterabis dicit, tertia bis subiicit.

Secundò esse nouemdecim modos utiles, quorum nouem primi pertinent ad primam figuram, quatuor sequentes ad secundam: sed postremi ad tertiam: qui omnes quatuor vsitatis versibus significantur:

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipon.

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum.

Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.

Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Tertiò in his artificiosis uocabulis obseruandas esse vocales quatuor, A, quæ significat propositionem vniuersalem affirmantem: E, quæ vniuersalem negantem: I, quæ particularem affirmantem: O, quæ particularem negantem.

Quartò, nullum modum præter illos nouemdecim esse utilem & legitimum.

Quintò, nouem primæ figuræ modos, alios esse directos, perfectos, & clarissimè concludentes, vt sunt quatuor primi, de quibus præsertim hic loquitur Aristoteles; alios quinque esse indirectos, imperfectos, & obscuriùs concludentes, qui ideò resolui & reduci debeant ad quatuor primos directos.

Denique alios modos aliarum figurarum esse imperfectos, si cum modis directis primæ figuræ comparentur: ideòque ad hos posse reduci, vt fiant clariorè & perfecti. Quæ reductio Græcis est ἀνάλυσις, Latinis *resolutio*.

Ad Caput septimum.

Statuit primò, in quauis figura ex duabus præmissis particularibus, & duabus negantibus, nihil vi formæ concludi. Secundò, conclusionem particularem esse, vel negatiuam, si vna præmissarum

particularis fuerit, vel negatiua. Ratio est, quia *Conclusio sequitur debiliorem & deteriore partem*. At particulare deterius est vniuersali; negatiuum, affirmatiuo.

Ad Caput octauum.

DOcet, Syllogismos varios esse pro varietate enuntiationum quibus constant. Vnde colligit conclusiones alias esse absolutas, alias necessarias, alias contingentes, iuxta præmissarum conditionem. Vnde si vtraque præmissa fuerit de necessesse, conclusio siue Syllogismus erit etiam de necessesse.

Ad Caput nonum.

SI maior præsertim, fuerit de necessesse, & minor absoluta in prima figura: docet, sequi posse conclusionem de necessesse, hoc pacto: necessesse est omne animal esse substantiam, at omnis homo est animal, ergo necessesse est omnem hominem esse substantiam.

Ad Caput decimum.

DOcet, ex propositione vniuersali negante & de necessesse, & propositione vniuersali vel particulari absoluta & affirmante, sequi conclusionem de necessesse in secunda figura. Vt patet in *Cesare, Camestres, Festino*. In quibus exempla facile fingi possunt.

Ad Caput undecimum.

DOcet, in 3. figura cum maior est de necessesse, & minor absoluta, sequi conclusionem de necessesse, præterquam in *Bocardo*, formetur exemplum. Nos enim documenta sectamur.

Ad Caput duodecimum.

STatuit, non colligi conclusionem affirmantem in Syllogismo de inesse, nisi ambæ propositiones significant inesse, id est, nisi sint affirmantes. Quod si altera tantum esset de necessesse, colligi conclusionem de necessesse.

A Capite decimotertio ad vicesimum tertium.

AGit de contingentibus. Statuit primò, contingens esse quod cum non sit necessario, si tamen ponatur, nullum sequi incommodum.

Secundò, omnes propositiones de contingenti, conuerti posse ad oppositam qualitatem, non quod affirmationes commu-

tentur in negationes, sed quia cum sint affirmatiuæ, (habet enim vtraque modum affirmatum, scilicet contingit,) videntur tamen opponi, quia altera in dicto habet verbum esse affirmatum, altera negatum. cuius rei ratio est, quia quod contingit esse, contingit etiam non esse, & contra. Admonet, contingens duobus modis dici. Primò, quod fit sæpe, nõ tamen necessario, vt hominem canescere. Secundò, quod fit fortuito, estque indifferens ad esse & non esse, vt animal ambulare: potest enim non ambulare. Et de his contingentibus ac indefinitis, ait non esse scientiam, nec demonstrationem; secus de iis quæ vt plurimum conueniunt.

Ex vtraque ergo præmissa de contingenti in prima & tertia figura, sequi conclusionem de contingenti: vt ex vna absoluta vel de necessario; cum altera de contingenti.

In secunda figura, ex ambabus de contingenti nihil sequi, vt nec ex negatiua de contingenti, licet altera sit de necessesse, vel de inesse. Quod si affirmatiua sit de contingenti, & negatiua de inesse, vel de necessario, sequi conclusionem de contingenti. Atque vt semel & generatim dictum sit, *Vbicumque est præmissa de contingenti, sequi conclusionem de contingenti.*

Ad Cap. vicesimum tertium.

OPortet, omnem Syllogismum ad normam & legem alicuius figuræ ex tribus antea commemoratis construi. Sed cum Syllogismi tertiæ & secundæ figuræ imperfecti sint; vt perficiantur, docet Aristoteles eos reduci ac resolui debere ad primam figuram, per modos vniuersales perfectissimos & clarissimos, *Barbara, & Celarent*.

Ad Cap. vicesimum quartum.

DEcernit, in quouis Syllogismo alteram præmissarum debere esse affirmantem & vniuersalem: quia ex vtraque negante & vtraque particulari nihil necessario & vi formæ concluditur. Tum conclusioni similem esse debere alteram præmissarum.

Ad Caput vicesimum quintum.

DEcernit, omnem demonstrationem & Syllogismum tribus tantum terminis constare debere, nisi per diuersa media conclusio eadem confirmetur; vel accedat Prosyllogismus, qui est probatio *πὶ τῶν* propositionis Syllogismi principalis: aut *συλλο-* etiam nisi sit compositus Syllogismus, *νομός*.

Sed tunc Syllogismi sunt plures. Deinde docet, omnem Syllogismum constare duabus propositionibus, quia tres termini faciunt duas propositiones: è quibus fit conclusio, quæ dicitur dimidia pars propositionum.

Ad Caput vicesimum septimum.

Decernit, quæstiones eas quæ pluribus figuris & modis probantur, esse probatu faciliores, quàm quæ paucioribus confirmantur. Atqui quæstiones particulares constat probari posse pluribus modis & figuris: vniuersales verò paucioribus: ergo vniuersales sunt confirmatu difficiliore, licet refelli facilius possint. Refelli verò vniuersales per particulares, & contra particulares per vniuersales. Sed confirmationem particularium fieri per vniuersales, non contrà. Quo loco docet, refutationem cõfirmatione esse faciliorem, nempe quia facilius sit destruere, quàm construere. Sententia est, τὸ ἀνασκευάζειν, τὸ κατασκευάζειν ἥϊον.

Ad Caput vicesimum septimum.

Secunda est libri pars, in quâ agitur de Methodo inueniendi media, & de copia Syllogismorum, eaque generali. Nam particularis, (quæ pro diuersitate materiæ necessariæ, probabilis, & Sophisticæ, triplex est, Apodictica scilicet, Dialectica, & Sophistica) explicatur speciatim libris posteriorum Analyticorum, Topicorum, & Elenchorum. Docet igitur primò Aristoteles, res alias de nullo (supple tanquam de inferiori) prædicari, vt indiuidua: alias prædicari de aliquo, & subijci alicui; vt sunt homo, animal, & genera interiecta: alias sic prædicari, vt nunquam subijciantur: cuiusmodi sunt genera summa, id est, Categoriæ. Et de interiectis quidem fieri maximè sermones & Syllogismos.

Vt ergo inueniatur medium ad quodlibet problema siue quæstionem omnem probandam, statuit oportere ante omnia supponere, quòd res de qua agitur, sit: deinde nosse rei definitiones, proprietates, consequentia, antecedentia, repugnantia. Tertio, distinguenda essentialia, propria, accidentia, vera, & probabilia. Quarto, eligenda media consequentia, id est, quæ rem siue subiectum de quo agitur, consequantur, vel semper, vel plerumque. Quintò antecedentia, quæ res ipsa consequatur. Vbi obseruat notam vniuersalem, vt omnis, nullus nunquam esse iungendam consequenti, sed antecedenti.

Est verò id Antecedens, de quo aliud dicitur: Consequens, quod de alio: sic a-

nimal dicitur consequens ad hominem, antecedens ad viuens. Repugnans verò est quod de alio, & de quo aliud vicissim negatur: vt lapis de homine; homo de lapide.

Ad Cap. vicesimum octauum.

Exponit leges & præcepta quibus omnia genera problematum & conclusionum possint confirmari.

Primum est, vt probetur, A, id est, conclusio vniuersalis affirmans, medium debet esse consequens ad minorem terminum, siue ad subiectum conclusionis, & antecedens ad maiorem terminum, siue ad prædicatum. Hac lege nititur, *Barbara*, formetur exemplum.

Secundum, vt probetur, I, id est, particularis affirmans, in tertia quidem figura medium debet esse antecedens ad vtrumque. Hac lege stant tres modi tertiæ figuræ affirmantes, *Darapti*, *Disamis*, *Datifi*: In prima verò figura & modo directo, debet sumi medium antecedens ad prædicatum, & consequens ad subiectum. Qua lege nititur *Darij*. Vt denique in prima figura indirectè; medium debet esse consequens ad prædicatum, & antecedens ad subiectum. Qua lege nititur, *Baralipon*. Sed *ton*, nihil hîc significat.

Tertium, vt probetur, E, id est, conclusio vniuersalis negans in prima figura & modo directo, puta in *Celarent*, debet assumi medium repugnans prædicato, & consequens ad subiectum: vt autem in modo indirecto, puta in *Celantes*, debet sumi medium repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum. Vt autem in secunda figura eadem conclusio confirmetur, debet sumi medium, quod sit consequens ad vnum, & repugnans alteri. Vt in *Cesare*, & *Camestres*.

Quartum, vt probetur, O, id est, conclusio particularis negans, in tertia quidem figura debet medium esse repugnans prædicato, & antecedens ad subiectum. Qua lege nituntur, *Bocardo*, *Felapton*, *Ferison*: in secunda autem debet medium esse vni repugnans, & consequens ad alterum. Qua lege stant, *Festino*, & *Baroco*: vt verò in prima figura, & modo directo; debet medium esse repugnans prædicato, & consequens ad subiectum. Qua lege regitur, *Ferio*: in modo autem indirecto, debet medium esse antecedens ad subiectum, & repugnans prædicato: Qua lege stant *Fapesmo*, & *Frisesomorum*, sed *orum*, nihil denotat. Hic obseruandum particularem conclusionem probari posse vt vniuersalem, quia particularis dependet ab vniuersali. Cæterum prædictas inuentionis leges in textu explicari per

octo elementa siue litteras, quarum duæ A, & E, significant duas partes quæstionis siue conclusionis, E, quidem subiectum, A, attributum; aliæ sex medium, eiusque habitudinem ad illas, qualem nunc explicuimus. Et ad A, quidem pertinent, B, C, D, ad E verò F, G, H, ex quibus describi solet in Scholis tabula inuentionis medij, ad quamlibet conclusionem confirmandam: quæ quidem tabula cum ingenia paulò viuaciora & acutiora postulet, vocatur vulgò in Scholis *Pons Asinorum*. Sed res tota, ex iam expositis, satis est, ni fallor, perspicua.

Ad Cap. vigesimum nonum.

Propositam inuentionis medij Methodum artémque laudat, quam docet valere in Syllogismis ostensiuis, & iis qui ducunt ad incommodum, siue absurdum: item in absolutis, modalibus, simplicibus & coniunctis.

Ad Cap. trigesimum.

Statuit, eandem Methodum etiam ad Somnia artium & scientiarum genera conferre.

Ad Cap. trigesimum primum.

Docet, prædictæ Methodi particulam esse diuisionem per genera. Quia diuio est imbecillus Syllogismus, & petens principium, supple, cum applicatur; alioqui vel est propositio tantum, vt est hæc, animal vel mortale est, vel immortale: vel certè simplex intuitus partium ac totius. Sic autem applicatur diuisio: animal vel est mortale, vel immortale: atqui homo est animal, nec tamen est immortale, ergo homo est animal mortale. Ex quo apparet, diuisionem, hoc modo, id est, Syllogisticè, applicatam, petere principium, id est, supponere, quod probare oportet, vel probare idem per idem.

Ad Cap. trigesimum secundum.

Hæc est pars tertia libri, in quâ agit Aristoteles de Analyti & reductione Syllogismorum.

Docet ergo hoc cap. resolui omnem Syllogismum in duas propositiones, è quibus sequitur conclusio, in tres terminos, & tres figuras: & argumentum quidem siue medium terminum eum esse, qui in vtraque est præmissâ, & ex cuius vario situ nascitur figura triplex, vt supra fuit expositum.

Tom. 1.

Ad Cap. XXXIII. ad XLIV.

Statuit primò terminos Syllogismi eodem modo ac sensu sumendos esse in toto Syllogismo.

2. Rectè & clarè eosdem exponi debere, etiam periphrasi & circumlocutione, si deest proprius terminus.

3. Syllogismos alios rectos esse, in quibus scilicet omnes termini sunt nominatiui casus: alios obliquos, in quibus termini sunt obliqui casus.

4. Propositionem accipi debere secundum nominis cuiusque casus, & modos attributionis. Quòd si quæ reduplicatio fiat in Syllogismo, eam iungendam primo, id est, maiori extremo, non medio, nec minori. Vt, omne animal quatenus animal, sentit: sed homo est animal, ergo homo quatenus animal, sentit. Ineptum enim est dicere in minore, sed homo est animal, quatenus animal. Licet verò commutare orationem & terminos in clariores, ita tamen vt non mutetur significatio, vel sensus. Porro cum fit expositio rerum, monet non esse requirendam veritatem exemplorum, sed rerum ipsarum manifestationem: quod documentum valde notandum est: ipse enim Aristoteles passim falsa exempla ponit. Docet præterea non omne Problema in omni figura probari: item conclusionem indicare figuræ rationem. Esse verò diligenter vitandam prolixitatem terminorum inutilium, in reprehendis definitionibus.

Ad Cap. XLIV.

Docet, Syllogismos hypotheticos, (ad quos referuntur ij qui per impossibile concludunt,) non posse resolui, quia nempe sunt conditionales, & nituntur conuentione, id est, consensu aduersarij, non Syllogismo absoluto & Categorico, & per se vero: deductionem autem ipsam ad impossibile resolui in figuram & modum, cum Categoricè fiat.

Ad Cap. XLV.

Statuit, Syllogismos figuræ vnius in alteram resolui posse: quorum problema siue conclusiones in vtraque figura probari possunt, non omnes tamen.

Resolui ergo primam figuram in secundam, quia *Celarent*, reducitur in *Cesare*, simplici maioris conuersione. Imò & in *Camestres*, simplici conuersione & transpositione maioris: *Ferio* in *Festino* conuersione maioris. Item primam figuram, in tertiam. Nam *Darij* mutatur in *Datist*,

H iij

conuersione minoris, *Ferio* in *Ferison*, conuersione minoris.

Sed perfectam Analyfim fieri docet, cum secunda & tertia figura resoluuntur in primam. Quia prima figura per modos suos directos clarissimè demonstrat veritatem conclusionum secundæ & tertiæ figuræ.

Cesare, ergo resolui in *Celarent*, conuersione simplici maioris, *Camestres* etiam in *Celarent*, conuersione simplici minoris & conclusionis, itémque transpositione propositionum: *Festino* in *Ferio*, simplici conuersione maioris. Sed *Baroco* qui quartus est modus 2. figuræ, non reducitur ostensiuè, vt nec *Bocardo*, modus quintus tertiæ, licet vterque confirmetur ductu ad incommodum. Resolui etiam *Darapti* in *Darij*, conuersione per accidens minoris: *Datifi* in *Darij*, conuersione simplici minoris: *Difamis* in *Darij*, conuersione simplici maioris & conclusionis, itémque transpositione propositionum: *Felapton* in *Ferio*, conuersione per accidens minoris. Denique *Ferison* in *Ferio*, simplici conuersione minoris.

Sic explicat Analyfim Syllogismorum Aristoteles. Nos dum è suggesto regionem doceremus, Anno 1616. tabulam sequentem dedimus hic descriptam, in quâ Syllogismi per tres ordines egregiè distincti, & leges reductionum luculenter descriptæ, & quatuor consonantes, S, P, M, C, quæ in modis figurarum passim sunt interfitæ, exponuntur. Ad cuius tabulæ intelligentiam, notandum primò reductionem ostensiuam esse, per quam imperfectus modus reducitur ad perfectum, solâ conuersione vel transpositione propositionum: reductionem verò ad impossibile, siue per ductum ad incommodum, eam esse per quam cogitur is qui negauit conclusionem modi imperfecti, admittere impossibile, scilicet contradictionem. Secundò notandum, modos imperfectos reduci ostensiuè ad eos perfectos, cum quibus primam suam litteram communem habent. Sic *Baralip.* reducitur ad *Barbara*, *Cesare*, ad *Celarent*. Vnde apparet plenos esse mysteriis quatuor illos versus tantopere in Scholis Dialecticorum celebratos, & supra commemoratos, *Barbara*, *Celarent*, *Darij*, &c. Quorum sensum quisquis probè assequetur, facilè Analyfim, omnium Syllogismorum comprehendet.

Ad Cap. Quadragesimum sextum.

VT quædam nomina sunt infinita, & propositiones infinitæ (de quibus dictum est lib. de Interpret.) ita & Syllogismi, qui scilicet constant attributis infini-

tis. Differre ergo attributa finitè negata, ab attributis infinitè affirmatis, docet Aristoteles, quia hæc faciunt propositiones affirmantes, illa negantes. Sic, homo non est albus, homo est non albus. Vnde concludit, Syllogismos infinitos non resolui vt finitos negantes, quia illi ad Syllogismum affirmatiuum resoluuntur: hi ad negatiuum. At modi negatiuè concludentes differunt à modis affirmatiuè concludentibus; vt est perspicuum.

Priorum Analyticorum Liber secundus.

Habet Capita viginti septem, Tractatus, siue partes tres. Prima est, de sex virtutibus, siue potestatibus Syllogismorū. Secunda de vitiis: Tertia, de reciprocatione & imperfectioribus Argumentationum formis, inductione, exemplo, abductione, instantia, & enthymemate.

Ad Cap. primum.

Docet, primam virtutem Syllogismi esse multas inferre conclusiones. nam ex vniuersali conclusione sequitur particularis per conuersionem, imò & vniuersalis, si negans est: vt si concludas omnem hominem esse animal, concludes etiam quendam hominem, vt Petrum, esse animal, & quoddam animal esse hominem: si nullum hominem esse lapidem, etiam nullum lapidem esse hominem.

Ad Cap. secundo, ad quintum.

Explicat secundam Syllogismi potestatem, quæ est concludere verum ex falsis, non per se & ratione propositionum falsarum, sed ratione formæ Syllogisticæ & dispositionis, vt omnis asinus est rationalis, sed omnis homo est asinus, ergo omnis homo est rationalis: si enim concedantur præmissæ, necessariò sequitur conclusio.

Ad Cap. quinto, ad Octauum.

Explicat tertiam potestatem, quæ est ratiocinari in circulum, id est, ex conclusione & propositione alterâ simpliciter conuersâ reliquam concludere, vt in *barbara*, omnis homo est risibilis, sed omne rationale est homo, ergo omne rationale est risibile: Circulus fiet conuertendo minorem, & assumendo conclusionem, vt fit maior, omne rationale est risibile, sed omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Sic enim ad eandem

propositionem proceditur in secundo Syllogismo, à qua initium sumptum erat in primo, ut fit in circulo, qui in idem punctum desinit, à quo incipit. Sed hæc potestas concludendi in orbem æstimanda est ratione formæ: alioqui vitiosus est circulus, ut docebitur capite tertio libri primi posteriorum Analyticorum.

Ad Capite octavo ad nonum.

Explicat quartam potestatem, quæ est concludere per conuersionem siue transpositionem, id est, ex opposito conclusionis, cum vna præmissa colligere oppositum alterius, ut, Omnis ars est utilis, sed omnis architectura est ars, ergo omnis architectura est utilis: conuersio sic fit: Aliqua architectura non est utilis, sed omnis architectura est ars, ergo aliqua ars non est utilis.

Ad Capite undecimo, ad decimum quintum.

Explicat quintam potestatem, quæ est deducere ad impossibile siue ad incommodum. Est autem deductio ad incommodum, probatio per quam ex contradictione propositionis confirmandæ, & altera Syllogismi propositione accersita, cogitur aduersarius admittere falsum. Quæ de re dictum est cap. 45. Libri primi priorum: vbi obseruandum, Syllogismum ducentem ad incommodum, fieri in omni figura.

Ad Caput decimum quintum.

Explicat sextam Syllogismi potestatem, quæ est concludere ex oppositis, ita ut idem negetur de seipso, quod fit contra pertinaces, qui propositiones oppositas admittunt, tanquam veras. Sic si quis has propositiones contrarias admittat ut veras: Omnis homo est animal, nullus homo est animal, arguetur hac consequentia, Ergo nullus homo est homo.

Ad Caput decimum sextum.

Transit ad secundam partem libri, quæ est de vitiis Syllogismorum; quorum primum ait esse petitionem principij. Petere principium, est non probare propositum, cum tamen probare videaris: quod fit cum peccas in forma Syllogismi; vel cum probas obscurum per obscurius; vel per æquè obscurum; aut æquè dubium ac incertum; vel priora per posteriora; vel idem per idem, ut si probares animam rationalem esse immortalem, quia non moritur: niuem esse albam, quia est candida.

Tom. I.

Ad Caput decimum septimum.

Secundum est, falsum propter hoc non accidere, quod proprium est Syllogismorum ducentium ad impossibile: cum scilicet disputator, quasi ex concessio & non contra hypothese colligit falsum, quod tamen non sequitur ex nostra hypothese. ut si hæc hypothese ponit respondens, vsus vini est licitus, & contra insurgat disputator, hoc modo: Si vsus est vini licitus, ebrietas erit licita: quia à vino ebrietas: at falsum est consequens, ergo & antecedens, siue hypothese: Respondens dicet, illud falsum propter hoc non accidere, siue quod idem est, non sequi ex hypothese, quia vsus vini, non est causa ebrietatis, sed abusus.

Ad Caput decimum octauum.

Tertium est falsa ratio, quæ assumitur in Syllogismo ex falsa propositione. Nam si conclusio est falsa, necesse est propositionem aliquam esse falsam, quia causa veritatis, vel falsitatis, in conclusione pendet ex præmissis.

Ad Caput decimum nonum.

Explicat modum quo respondens possit impedire, ne disputator contra ipsū aliquid Syllogismo concludat. possitve *καταστροφὴ λογισμοῦ*. Cauere enim debet respondens ne duas propositiones admittat, eundem terminum habentes: quia ille idē terminus assumitur tanquam medium, ex quo fortè conclusio contraria thesi sequi potest. Debet etiam respondens examinare dispositionem medij, & rationem figuræ, ut bonas malasque consequentias intelligat. Qui verò disputat, debere eum celare consiliū, reticere propositiones principales, turbare ordinem propositionum, ut facilius arguat respondentem. Sed ea de re agit etiam Aristoteles lib. 8. Topicorum.

Ad Caput vigesimum.

Definit Elenchum siue redargutionē: quam ait esse, cum respondens, vi Syllogismi aduersarij tam acriter reprehenditur, ut cogatur negare concessum, vel concedere negatum. Tum docet impediedum esse Elenchum, ut Cata syllogismum de quo supra: & speciatim non debere admitti vllam affirmationem, aut propositionem vniuersalem: quia ex negantibus & particularibus solis nihil concluditur.

H iij

Ad Caput vigesimum primum.

Admonet, inter disputandum & respondendum occurrere deceptiones, aptis distinctionibus cauendas.

Et quidem nos decipi posse primò, cum statuimus oppositos Syllogismos. Quia vni rei, duo diuersa insunt, vt Medicus non est Euangelista, sed Diuus Lucas est Medicus, ergo non est Euangelista. contrà, Qui scripsit Euangelium, est Euangelista, sed Diuus Lucas scripsit Euangelium, ergo est Euangelista. Secundò, cum nouimus maiorem siue generalem propositionem, puta, omnem patrem esse honorandum; minorem tamen ignoramus, scilicet omnem regem esse patrem: vnde non admittimus conclusionem quæ ex maiore colligitur, scilicet ingratos & seditiosos, eòsue qui non honorant regem, non futuros longæuos. 3. Cum propter contrarias rationes admittimus contraria, vt si quis concedat animam rationalem esse mortalem & immortalem; mortalem quidem, quia eget organo corporeo, immortalem, quia appetit æternitatem.

Ad Caput vigesimum secundum.

HÆc est pars tertia lib. quæ Syllogisticas reciprocationes siue regulas consecutionum primò explicat præsentis capite. Deinde species argumentationum, inductionem, exemplum, abductionem, instantiam, enthymema. Vbi non nihil de signis & de Physiognomoniâ.

Quod ergo spectat ad reciprocationes, docetur primò quæ affirmantur de se mutuo, ea omnia etiam reciprocari, vt sunt homo, risibile, rationale. 2. Reciprocationes crebras esse in prima figura. Ponuntur leges. I. Quoties in 1. figura maior & minor terminus reciprocantur, vt homo, risibile; necessum est medium, puta rationale, reciprocari cum extremis: atque adeò ipsas propositiones. II. Cum duo, vt ingenitum & incorruptibile, reciprocantur, & alia duo, putà genitum & corruptibile etiam reciprocantur; vt se habent primum & tertium, sic & secundum & quartum. Tertia, si ponatur bonum cum opposito malo, & supponatur alterum bonum cum opposito malo, si bonorum vnum coniunctum cum malo quod opponitur alteri (vt sanitas cum paupertate) optabilius est quàm alterum bonum cum altero malo; bonum illud est præstabilius, vt apparet hoc exemplo:

Sanitas, ~~X~~ Ægrotudo, quid deterius.
Diuitiæ ~~X~~ Paupertas, melius.

Ad Caput vigesimum tertium.

STatuit, omnia probari syllogismo, vel inductione. Tum definit inductionem, argumentationem qua alterum extremum de medio concluditur per alterum. Quamquam aliter definit cap. 10. lib. 1. Topic. γη. nempe progressionem à singularibus, vel à minus vniuersalibus ad vniuersalia, vt hic homo ridet, ille etiam, & ille, & hic alius, ergo omnis homo ridet. 3. Syllogismum esse natura priorem; & per se notiosem, quia fit per medium: inductionem verò esse euidentiosem & notiosem quoad nos.

Ad Caput vigesimum quartum.

Definit exemplum inductionem imperfectam, siue argumentationem per quam ostenditur maius extremum inesse medio, per aliquid simile tertio, scilicet minori extremo. Vnde patet oportere in exemplo esse quatuor terminos, ideòque exemplum resolui in duos syllogismos; quorum vnus sit principalis, per quem maius extremum præbetur de minori per medium: alter prosyllogismus probans maiorem principalis inductione imperfectâ, putà ex vno aut quibusdam. Ponit conclusionem probandam hoc modo: Athenienses contra Thebanos bellum gerere malum est. Syllogismus principalis est, Contra finitimos bellum gerere est malum, atqui Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere: ergo Athenienses bellum contra Thebanos gerere, est malum. Probat maiorem exemplo in tertiâ figurâ quamquam imperfectâ; quia conclusio est vniuersalis, quod non licet. Sic, Thebanos bellum gerere contra Phocenses malum fuit: atqui Thebanos contra Phocenses bellum gerere, est contra finitimos bellum gerere; ergo contra finitimos bellum gerere, est malum.

Ad Caput vigesimum quintum.

DOcet, abductionem refelli ad syllogismum, imò esse syllogismum, non cum quidem qui pariat scientiam; sed qui ducat ad scientiam; quia respondens concessa maiori perspicua & nota, & negata minore non adeo nota & certa, disputantem ita abducit ab illatione conclusionis, vt cogat ad eius confirmationem: quam eum perfecit disputans, & vsque ad immediatam propositionem, tunc scientiam habet, & respondens captus est.

Ad Caput vigesimum sextum.

Πέντασι. INSTANTIA, quæ dicitur obiectio vel refutatio, est propositio propositioni contraria. ut si quis hanc propositionem in syllogismo poneret, Omnis homo est albus: respondens diceretur dare instantiam, si reponeret Æthiopem, qui homo est, non esse album; ideoque non omnem hominem esse album. Fit verò sæpius instantia in tertia figura, ut patet examine.

Ad Caput vigesimum septimum.

πέντασι. DEFINIT ENTHYMEMA syllogismum imperfectum, constantem verisimilibus vel signis. Signum verò, inquit, est propositio demonstratiua, vel necessaria, vel probabilis; verisimilis est propositio probabilis, ut, qui invident, oderunt. In enthymemate signum medio respondet. quot igitur modis sumitur medium, tot & signum. Hinc in tribus figuris fiunt enthymemata; fortissima quidem; cum ad primam figuram reducuntur; ut lac habet, ergo utero fert: nam quæcumque mulier lac habet, utero fert; vel concepit: infirma, cum ad tertiam, ut Pittacus est probus; ergo sapientes probi. admodum infirma cum ad secundam, ut pallida est, ergo utero fert: supprimitur enim in enthymemate vna propositio; quæ si exprimitur, syllogismus est.

πέντασι. TRANSIT postea Aristoteles ad Physiognomoniam, id est, ad coniectionem naturæ cuiusque rei, ex qua elici possit syllogismus physiognomonicus in prima figura. Supponit inter animam & corpus esse sympathiam. item vnius affectionis vnum esse signum, & hæc reciprocari. Syllogismus physiognomonicus talis est, Quæcumque animalia magnas habent extremitates, ea sunt fortia: atqui leo est animal magnas habens extremitates; ergo leo est fortis. De physiognomonicis libellum scripsit Aristoteles, in quem etiam postea suo loco breuiter commentabimur.

Analyticorum Posteriorum, siue de Demonstratione, Liber primus.

Habet Capita XXXIV. Tractatus siue partes IV. Prima est de prænotionibus & præcognitis. Secunda, de scire & essentia demonstrationis. Tertia, de ignorantia scientiæ opposita. Quarta, de variis quæstionibus ad principia & media demonstrationis, & ad eius genera, itémque ad scientiam pertinentibus.

Ad Caput primum.

Primo Capite absoluitur primus tractatus, vbi demonstrat Aristoteles, omnem doctrinam & disciplinam Dianoëticam, id est discursiuam, fieri ex præuiâ quadam cognitione, siue ex prænotione rerum ipsarum, de quibus est sermo: neque enim ratiocinatio fit de omnino ignotis. Demonstratio autem cognitio est discursiua, ergo eget præcognitionibus: quæ duæ sunt, prima quòd res sit, secunda quid sit, supple ruditer & confuse: Itavt ante demonstrationem cognoscere debeamus, an res sit, & quid nominis, id est, confuse quid res sit. Sunt autem tria in demonstratione præcognita, de quibus scilicet prænotiones fieri debent: subiectum, de quo præcognoscendum est an sit, & quid sit: attributum, quod est proprietas siue passio subiecti, de quo præcognoscendum est quid sit, vel quid significet: principia siue propositiones, de quibus præcognoscendum est quòd sint, id est quòd sint vera. Nam esse propositionum, est earum veritas.

Statuit in fine Capitis, rem antequam conclusio fiat, modo quodam sciri, nempe vniuersaliter, & in principiis, quatenus ea præcognoscuntur; & modo quodam nesciri, quia nescitur propriè in se & distinctè, nisi per conclusionem expressè elicitam. Sed notandus est hoc capite, insignis error & planè ridiculus Collegij Conimbriensis, in explicatione Græci vocabuli *ἀγνοῖα*, quod derivat à nomine *ἀγνοῖα*, & à verbo *τρέχω*: quod, ut ait, significat *Viam conficere*, seu, *discurrere*. vitiola quippe est hæc derivatio; quoad verbum *τρέχω*, quod propriè significat *liquefacio, consumo, tabefacio, colliquo*, vnde *σωτήρων* vel *σωτηρικὸς πυρετὸς*, Medicis, id est, *Febris colliquans*, ardentissima. pinguedinem & carnes colliquans: neque vnquam vsurpatum legitur pro *viam conficere* aut *discurrere*: præterea debet sic esse (η) loco (ι) in penultima, ut in *σωτήρων*.

Ad Caput secundum.

Secundus est tractatus, in quo definit Aristoteles scire, demonstrationem, & principium.

Scire est cognoscere causam per quam res est, eius rei esse causam, nec posse aliter habere.

Demonstratio est syllogismus scientialis, siue faciens scire,

Scientia demonstratiua siue demonstratio est ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causis conclusionis: sic enim

erunt etiam principia propria rei demonstrata. Priora & notiora, vel dicuntur quoad nos, quæ scilicet magis accedunt ad sensum, & facilius percipiuntur, vt singularia: vel simpliciter, quæ longè distant à sensu, vt vniuersalia. Principium demonstrationis est propositio immediata, quæ non est alia prior: estque duplex; Thesis, quæ est quidem indemonstrabilis, sed non necessario, nec statim cognita discenti, vt definitiones naturæ, numeri, trianguli; quæ in suis scientiis non probantur, sed declarantur: & Axioma, quod est indemonstrabile, & quod necessario cognoscit qui discere vult. Axiomatum enim generaliumve propositionum cognitionem à se ipso habet discipulus; non à Doctore, vt, omne totum est maius sua parte.

Thesis verò duplex, hypothesis scilicet, & definitio. Illa ponit aliquid esse, vel non esse: hæc explicat quid res sit.

Sub finem Capituli statuit principia credibilia esse & certiora conclusione: quia conclusionem cognoscimus per principia, & conclusio ipsa vera, certaque est, quia principia è quibus colligitur, certa sunt & vera: at propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

αἰεὶ γὰρ δὴ
ὁ ὑπάρχων
ἐκείνο μάλ-
λον ὑπάρ-
χων.

Ad Caput tertium.

Statuit, principia per se ipsa certò cognosci, non per demonstrationem: quia principia prima sunt, immediata, & per se nota: nec possunt per alia demonstrari. Neque verò ad hoc vt principia sciantur, id est certò cognoscantur, necessarium esse circulum in demonstrationibus, per quem scilicet ipsa principia probentur per conclusiones ex ipsis elicitas. Talis enim circulus planè vitiosus esset: quia oporteret conclusionem primæ demonstrationis fieri principium secundæ, & principium primæ fieri conclusionem secundæ: sicque vna eademque propositio esset simul & semel notior & ignotior, prior & posterior, quod repugnat.

Κύκλω
ἀποδεικ-
νύσθαι
πλὴν ἀ-
δύνατον.

Ad Caput quartum.

Docet, scientiam demonstratiuam esse de re necessariam, atque adeò ipsam demonstrationem, qua talis scientia gignitur, constare propositionibus necessariis: quæ quidem necessitas explicationem requirit eius quod dicitur de omni, per se, & quod est vniuersale.

De omni id dicitur, quod cuiuslibet attribuitur, & quouis tempore, vt animal homini.

Per se dicitur quatuor modis. Primò, quod est de essentiâ. Secundò, quod est

proprium. Tertio, quod per se subsistit.

Quarto, quod alteri conuenit propter ipsum, vt mori iugulato, quatenus enim iugulatus est, per se moritur.

Attributum vniuersale est quod omni inest, per se & secundum quod ipsum; vt risibile, respectu hominis.

Ad Caput quintum.

It contingere deceptionem circa attributum vniuersale, quod debet conuenire subiecto quatenus subiectum est tale. sed ratio vitandi deceptionem est: cum scilicet conuenit subiecto sublatis omnibus quæ in ipso sunt, præter id quo constituitur in tali esse; ita vt si esse tale auferatur, collatur etiam primò illud attributum vniuersale, vt habere tres angulos pares duobus re-ctis, respectu trianguli: risibile respectu hominis; atque vno verbo proprium quarto modo, respectu suæ speciei.

Ad Caput sextum.

Sola per se sunt necessaria, sed demonstratio constat necessariis: nam ex demonstratione sequitur scientia quæ est necessariorum; ergo demonstratio constat iis quæ sunt per se.

Ad Caput septimum.

In demonstrando docet non licere è genere in genus migrare, id est, è subiecto vnius scientiæ transire ad aliud, alioqui omnia confunderentur. Sic non est Arithmeticæ probare problema Geometricum. Quod enim vnius scientiæ est, non conuenit alteri diuersæ: nisi fortè sit subalternatio, vt optices ad Geometriam, Musices ad Arithmeticam.

Ad Caput octauum.

Statuit demonstrationem esse conclusionum sempiternæ veritatis, quia propositiones sunt vniuersales: hinc enim sequitur nec demonstrationem, nec scientiam esse rerum caducarum; vt neque definitiones, quæ sunt principia ipsius demonstrationis.

Ad Caput nonum.

Principia demonstrationis probat debere esse propria, non extranea, aut aliena. Quia per principia scire debemus: scimus autem rem per principia sua, id est rei propria, per quæ scilicet propriè & per se talis est, & non alia.

Ad Caput decimum.

P Rincipia dicuntur quæ quod sint, demonstratione probari non possunt. Ea docet, vel esse communia, quæ nempe pluribus scientiis accommodantur: ut hoc, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt, erunt æqualia, Arithmetica & Geometria: id est, numeris & magnitudinibus: vel propria, quæ ceteræ scientiæ sunt peculiaris siue ea simplicia sint, ut linea, numerus: siue complexa, ut horum definitiones redactæ in propositiones.

Ad Caput undecimum.

De ideis li. 1. ethic. ca. 4. lib. 7. Metaph. cap. 14. lib. 11. cap. 4. 5.
D Ocet, ut fiat demonstratio, non esse necesse ad ideas Platonis separatas à singularibus confugere. Satis enim est dari communes naturas, quæ sint in singularibus, & de iis prædicentur. Deinde profert communissimum axioma, idem de eodem non posse simul affirmari & negari. Item, affirmationem vel negationem de quavis re veram esse. Postea docet communicare scientias omnes secundum cõmunia. Dialecticam (utentem supple) omnibus convenire ac misceri, ut & Metaphysicam, licet diuerso modo. Dialectica enim de omnibus differit ex probabilibus: Metaphysica scientificè.

Ad Caput duodecimum.

ἐρώτημα ἀπόφασις
C Vm interrogatio & propositio sint eadem re ipsa, & modo tantum differant, docet esse cuiusque scientiæ propria thoremata siue quæstiones, vel interrogationes: quia cuiusque scientiæ propriæ sunt propositiones siue principia. Hinc statuit debere vnumquemque de rebus suæ artis respondere, Geometram de Geometricis, Medicum de medicis. Subiungit, paralogismos, id est syllogismos deceptorios, peccare, nunc in formâ; ut cum in secundâ figura concluditur ex puris affirmantibus: nunc in materia, ut cum concluditur ex falsis: propriè autem paralogismos esse, qui in materia peccant.

Ad Caput decimum tertium.

τὸ ὅτι τὸ δὲ ἴδιον
A Liud, scire quod res ita sit; aliud, cur ita sit. Hinc distinctio demonstrationis in demonstrationem quia, siue quod res sit: & in demonstrationem propter quid, siue cur res sit. Et hæc quidem verâ est, perfecta ac potissima, quæ nimirum probat effectum per causam propriam, de qua hætenus dixit Aristoteles. Illa est imperfectior, sique duobus modis in eadem scien-

tia: Primò, cum demonstratur causa per effectum hoc modo: Stellæ quæ non scintillant, sunt terræ viciniore; sed planetæ, id est, stellæ errantes, non scintillant, ergo planetæ sunt terræ viciniore. Probat enim hæc demonstratio planetas esse prope terram: quia non scintillant; cum tamen non scintillare sit effectus propinquitatis. Nam ideo non scintillant planetæ, quia sunt prope nos. Vnde fieri potest demonstratio propter quid ex iisdem terminis, si sumatur causa pro medio: hoc modo: Quæcumque stellæ sunt prope terram, siue prope nos, non scintillant; atqui planetæ sunt prope nos, ergo planetæ non scintillant. Secundò fit demonstratio quia, cum effectus probatur per causam remotam & non reciprocam, vel per effectum causæ remotæ: hoc modo: Omne respirans est animal, sed nullus paries est animal, ergo nullus paries respicit. Nam causa remota non respirandi, est non animal, ut respirandi, animal, propria autem animal habens pulmones.

Deinde docet, scire propter quid, proprium esse scientiarum subalternantium & principum, ut Geometria, Arithmetica, quæ scilicet causas primas & proprias contemplantur: scire autem quod res sit, subalternatarum & inferiorum, ut Optices, Musice: imò verò inter scientias non necessario subalternatas, fieri interdum, ut quod vna demonstrat per demonstrationem quia, altera demonstrat propter quid. Sic Medicus scit quidem, vlcera siue vulnera rotunda, vel circularia, difficilius tardiusque sanari, & in hoc consistit, nec ulterius inquiri, cur autem res ita sit, scit Geometra, nempe quia partes circuli maximè distant à centro: quæ autem partes dissolutæ maximè distant, eæ difficulter possunt reuniri & coalescere.

Ad Caput decimum quartum.

S Tatuat figuram ad scientias accommodatissimam esse primam: quia in hac sola concluditur vniuersaliter affirmatiuè, sique in eadem syllogismus, siue demonstratio propter quid.

Ad Capite decimo quinto ad decimum nonum.

ἔστι ἀγνοίας
H Atenus de scientia, nunc tertium tractatum aggreditur, qui est de ignorantia, scientiæ opposita, quæ in affirmationibus est & negationibus, mediatis vel immediatis. Immediatas negationes ait esse eas quæ fiunt per terminos generales primò sibi oppositos, ut, Nulla substantia est accidens, magnitudo non est qualitas. Mediatas, contra.

Facit duplicem ignorantiam, vnam pu-
ἡ ἀπὸ φασὶν

Non esse tibi-
 bicines a-
 pud Sey-
 thas dixit
 Anachar-
 sis, quia
 nec vites:
 responsio
 est ex cau-
 sa remotâ

rae negationis: ut est ea, qua puer vel rusticus tenetur, quandiu nescit Solem esse maiorem terra: quia est expertus Astrologiae: altera pravae dispositionis, ut est ea qua Astrologus aliquis, vel Opticus male eruditus, sibi persuadet corpora sic esse, ut videntur. est enim error. Hanc ergo ignorantiam quae erronea est, ait esse vel in propositionibus falsis; vel in syllogismo per medium falsum; ut canem esse rationalem; quia eligit & ratiocinatur.

Tum decernit orbitatem sensuum causam esse eius ignorantiae, quae dicitur pura negationis. Si enim aliquis deest sensus, necesse est etiam quorundam sensibilibus deesse scientiam. *Nihil enim est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Omnia siquidem discimus inductione, vel demonstratione.

Inductio autem fit ex singularibus sensu perceptis; demonstratio autem est ex vniuersalibus; quae quidem vniuersalia inductione declarantur & innotescunt; quare à singularibus, quae sensibilia sunt, initium est scientiae. Vnde impossibile est caecum natum assequi colorum scientiam.

A Cap. decimo nono ad vicesimum septimum.

Hic est quartus tractatus, in quo docetur primò, in demonstrationibus deueniendum esse ad prima principia & immediata, ideòque non esse principia infinita: praesertim cum media sint finita, quia extrema finita sunt, ut constat ex summis rerum generibus & indiuiduis, ultra quae abire non licet.

Docetur secundò, in demonstrando reduci debere propositiones mediatas & demonstrabiles, ad principia prima & immediata, sumendo medium terminum, qui sit proximus minori extremo.

Tertiò, demonstrationem vniuersalem praestantiorum esse particulari; affirmantem, negante; Categoricalam, eam quae ducit ad incommodum.

A Cap. vicesimo septimo ad trigesimum tertium.

Confert scientias inter se. Docetque, scientiam eam accuratiorum esse & priorem, quae demonstrat quòd res sit, & cur sit; quam eam, quae tantum demonstrat alterutrum.

Item certiorum eam esse, quae magis abstrahit à subiecto; id est, à materia sensibili, ut est Arithmetica, respectu Musicae; illa enim abstrahit à qualitate sensibili, ut est sonus: circa quam tamen qualitatem versatur Musica,

Denique eam quae versatur in re simpliciori: sic Arithmetica perfectiorum

esse Geometriam, quia illa vnitatem considerat: haec punctum, hoc autem habet situm in continuo, non illa.

Docet postea eam scientiam vnam esse, quae circa vnum genus subiectum versatur, quod habet principia, partes, & proprietates: esse verò diuersas scientias, quarum principia nec ex iisdem sunt, nec alia ex aliis.

Deinde eiusdem rei posse esse diuersas demonstrationes, per diuersa media.

Item fortuitorum non esse demonstrationem, quia demonstratio est necessarium duntaxat, aut certe eorum quae ut plurimum eueniunt.

Nullam verò scientiam esse à sensu proximè & immediatè. Quia sentire est singulare, quae sunt hic & nunc: scientia autem & demonstratio vniuersalium, quae vbiq; sunt & semper (supple negatiuè) nec sentiuntur: quamquam ex particularibus sensu cognitio colligitur vniuersale: Hinc sensum conferre ad scientiam & demonstrationem.

Denique non esse eadem syllogismorum principia & propositiones, quia syllogismi alij veri, alij falsi sunt: non possunt autem esse eadem principia veri & falsi, quare scientiarum diuersarum diuersa esse principia.

Ad Caput trigesimum tertium.

Ponit discrimen scibilis & scientiae, opinabilis & opinionis: nempe quòd scientia sit vniuersalium & necessariorum: opinio mutabilium, quorum scientia non est, nec intelligentia. est enim intelligentia principium scientiae, cognitio scilicet vera & certa principiorum, siue axiomatum communium: ut scientia indemonstrabilis principiorum immediatorum & propriorum cuiusque scientiae, scilicet definitionum. Accedit quòd fieri non possit, ut eandem rem opinetur quis & sciat simul: quia alioqui existimaret idem aliter posse se habere, per opinionem; & non posse aliter se habere, per scientiam. quod repugnat.

Ad Caput trigesimum quartum.

Agit de solertia siue sagacitate, quae definitur prompta mentis perspicacitas, qua citò medium siue causam conuicimus, ut si videas lucidam partem lunae semper esse conuersam ad Solem, & hinc statim causam esse iudices, quòd Luna luce luceat aliena, id est, Solis lumine illustretur, sagax siue solers appellaberis.